


# EPISTULA LEONINA

## CCLXIV

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTES, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM QUARTAM (264)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-04</b>
<b>SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS.....</b>	<b>05</b>
<b>ECCE VENUS SPUMIGENA! (<i>Ursula Andress</i>).....</b>	<b>06-22</b>
<b>FLAGITATIO FLAGRANTISSIMA ET URGENTISSIMA: DOMINE CANCELLARI FOEDERALIS, APERI GASIDUCTUM NORDSTREAM 2 ! (<i>Lafontaine, LL</i>).....</b>	<b>23-27</b>
<b>»NOS NON SUMUS SERVI !« Agricolae Itali Hispani Poloni se associant Batavis reclamantibus.....</b>	<b>28-29</b>
<b>TRICAE &amp; GERRAE &amp; APINAE URSIHIRCULINAE.....</b>	<b>30-38</b>
<b>ECCE PETAURUM POLITICUM!.....</b>	<b>39</b>
<b>PUTINUS VULPIO VETERATOR OCCIDENTALES IN RUTAE FOLIUM CONICIT.....</b>	<b>40-45</b>
<b>NUM PRO UCRAINIA MINGAMUS SUB TUBULO MAMMATO ?.....</b>	<b>46-47</b>
<b>UVIUM SEELER PEDIFOLLIARIUM ANIMAM EFFLAVISSE.....</b>	<b>48</b>
<b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....</b>	<b>49-58</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>59-62</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>63-76</b>
<i>Urbanus Ferrarius (63-66) - Maximilianus Pulcher (66) - Philippus Melanchthon (67) - Naevius Sartorius (67-69) - Radulfus Bonaeriensis (70) - Iohannes Petrus Batavus (70-73) - Christianus Laes (73) - Gaius Licoppe (74-77) - Maurus Pisini (77).</i>	
<b>GRYLLUS HONORATI DAUMIER: <i>Venter legislativus</i>.....</b>	<b>78</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>79-82</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.


*Cara Lectrix, Care Lector,*

*rectène vales? Utinam sit tibi in aestibus aestivis frigus amabile! Nonne fieri potest, ut ipsâ in rerum tempestate per aliquantulum temporis moreris et animum relaxes symbolis Leoninis deditus? - Vindica te tibi, ut ait Seneca. Primo tibi monstraturus sum **Venerem spumigenam** - quisnam tam austerus tamque ineptus est, ut talis Deitatis aspectum fugiat? Scilicet eandem numquam tam asperam tamque crudelem esse quam Dianam illam viraginem, quae ultra modum puniverit Actaeonem spectatorem voluptuosum. Postea multas alias invenies materias Latinissimas, quas esse lectu dignas tibi sit persuasissimum! Toto ex corde tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus missas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ... Pancraticè vale et perge mihi favere.*

*Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**Die Saturni**

**23. m.Iulii a.2022**



HANS VON AACHEN: Bacchus et Ceres et Amor, a.1598

## **SINE CERERE ET LIBERO\* FRIGET VENUS**

**TERENTIUS, Eunuchus 732**

**\*) ET GASO RUSSICO suppl. Leo Latinus**

# ECCE VENUS SPUMIGENA !

Quomodo factum sit, ut *Ursula Andress* Helvetia histrionissa ante sexaginta annos personam gerens *Mellitae Equitissae*<sup>1</sup>, quae est concharum indagatrix, in cinemate, c.t. «*Dr. No*» crearet exemplar motui mulierum ideale.



**Firma, libera, armata, autonoma: *Ursula Andress***  
personam gerens *Mellitae Equitissae* (*Honey Ryder*).

<https://www.youtube.com/watch?v=FQXnfjBd-hA>

**DR. NO | Bond meets Honey**

d.12. m.Maii a.2022

*Scipsit Peter Wälty, in Latinum convertit Leo Latinus*

***Terentius Young***, scaenótheta primi cinematis *Iacobi Bondii*, c.t. „*Dr No*“ (a.1963), ante sexaginta annos hanc scaenam cinematographavit prope cataractas *Aquarum Ridentium*<sup>2</sup> in fundo privato, in occidente oppiduli

<sup>1</sup> **Mellita Equitissa**, i.e. orig. *Honey Ryder*. cfr „The name Ryder is of Old English origin and means "horsemen" or "cavalrymen, messenger." It was originally used a surname, but became a popular given name in the 20th century. Ryder is derived from the Old English *ridere*, meaning "mounted warrior."

<sup>2</sup> orig. *Laughing Waters*

*Octo Fluviorum*<sup>3</sup> in litore *Iamaicae* boreali siti. Ecce siparia catalogo sedis periegeticae haud absimilia: Lîtus harenosum circumornatum est silvulâ palmarum et amygdalorum, super saxum fluit fluviolus leniter strepens in mare turchesinum, caelum est coloris rubriviolacei. Argumentum autem est quod sequitur: *Iacobus Bondius* speculator secretus, cuius persona geritur a *Sean Connery*, cum clam repserit ad insulam vetitam *Doctoris Iulii No* furciferi exsecratissimi, sub palmâ noctem degit. Sole oriente excitatur voce puellae blandulâ, quae cantilat cantilenulam Calypsonis.



*Bondius* surgit et circumspectat – et fit testis oculatus spectaculi naturalis, quod celebrabitur ab historicis cinematographiae: *Ursula Andress* personam gerens *Mellitae Equitissae*, quae est concharum indagatrix, escendit e fluctibus marinis. Quae femina balnearem gerit vestem bicinianam coloris byssei ex erioxylo confectam necnon latam zonam militiae nauticae, e quâ pendet culter. Post eam caelum apparet Oceani Caribici candidum. Cum *Bondius* concinat cantilenulam „*Sub arbore mangiferâ*“<sup>4</sup>, *Mellita* territa cultrum destringit. In dialogo qui sequitur *Bondius* anticipat reactionem aliquot centum milium spectatorum. *Mellita*: „*Quid agis? Quaerisne conchas?*“<sup>5</sup> *Bondius*: „*Nil ago nisi specto.*“<sup>6</sup>

### **Voluptas et pulchritudo**

Spectatores animis obstupefactis atque inflammatis helluabantur in hac scaenâ aspectandâ. Ubique terrarum critici cinematographici hanc scaenam comparaverunt cum picturâ renascentiae artium illustrissimâ ab *Alexandro Botticellio* picta, c.t. „*Nativitas Veneris*“. *Venus* est dea Romana, quam


<sup>3</sup> oppidulum *Octo Fluviôrum*, orig. *Ocho Rios*.

<sup>4</sup> orig. „*Underneath the Mango Tree*“

<sup>5</sup> orig. „*What are you doing? Are you looking for shells?*“

<sup>6</sup> orig. „*I'm just looking.*“

comparare licet cum Graecorum Aphroditâ, deâ amoris et voluptatis et pulchritudinis – i.e. sexualitatis. Mirum est hanc deam sexualitatis creatam esse castratione oedipali. Nam Cronus Titan falce Uranum patrem eviravit eiusque genitalia mari iniecit. Tum mare exspumans peperit Aphroditam, quae deinde ingressa est insulam Cyprum.




***Critici cinematographici hanc scaenam comparaverunt cum Alexandri Botticellii picturâ renaissance artium illustrissimâ: „Nativitas Veneris“***

Si accuratius rem consideramus, *Ursula* e mari escendens non valdê similis est Veneri Botticelliniana in litore Cypri apparenti. Nam *Ursula* non graditur tam levibus pedibus conchae paene impensa quam Venus illa, sed aliquatenus titubanter vādat cantans ad lītus, ubi duas conchas negligens inicit harenae.

Ista Amazon concharum indagatrix nequaquam in longinquum spectat somniosa, sed latis umeris instructa pedibus constat trux et ad pugnam parata. Ista „*Doctoris No*“ dea spumigena non est dea ab oculis mortalium amolita, sed incarnatio novi generis mulierum.



Annis sexagenariis ineuntibus cinemata *Aquifolietana*<sup>7</sup> temporis postbellici<sup>8</sup>\* erant moritura. Hoc vix in ullo cinemate alio dilucidius patefit quam in neohippodramate<sup>9</sup>\* *Iohannis Huston* nigro-albo a.1961 confecto, c.t. „*The Misfits*“, cuius participes sunt *Marylin Monroe* et *Clark Gable* et *Montgomery Clift*. Quo cinemate aliquatenus valedictum est Americae hilari. *Clarcus* eorum histrionum primus mortuus ne primam huius cinematis monstrationem vidit. Anno post *Marylina* ipsa sibi mortem conscivit, paulo post illos secutus est *Montgomery Clift*.



Feminae quales fuerant *Marylin Monroe* et *Jane Russell* et *Diana Dors*, mammis ingentibus, cinctibus vesparum, coxis dilatis praeditae calceis baculatis corpora librantes cupi desierant.

Etiam designatores<sup>10</sup> ex anno 1960 petiverunt formas novas. Linea idealis ab organicis formis rotundis mensae reniformis remota petivit aciem severam. Anno, quo cinema „*Dr.No*“ in cinemata allatum est, autocinetum *Chevrolet* in sempiternum valedixit squamae puppali. Nam anni quinquagenarii erant finiti.

Apparentiâ *Ursulae Andress* litorali annuntiatus est novus status mulierum socialis. Nam *Mellita* praedita est illis peculiaritatibus mulieris, quas decenniis venturis homines erant petituri: ea est firma, libera, armata, autonoma.

<sup>7</sup> \***Aquifoliētum**, -ī n. *Hollywood*. - \***cīnēma Aquifoliētānum** i.q. *Hollywood film/ movie*.

<sup>8</sup> \***postbellicus**, -a, -um i.q. *brevi post bellum est aut fit*.

<sup>9</sup> \***neo-hippodrāma**, atis n. orig. *Neo-Western*.

<sup>10</sup> **dēsīgnātor**, -ōris m. i.q. *Designer*.

Non vestimenti balnearis brevitâ tantâ cum vehementiâ valuit ad spectatores, nam vestis biciniana illo tempore neque nova fuit neque nimis insolita. *Ursulae* vesticula bipartita ad scaenam Caribicam eo tantum valuit, quod patefecit novam anatomiam femininam: umeros latos, pectus definitum, ventrem planum, mandibulam firmam, ossa pelvis et genarum insignia. Musculis tensis, cute splendente, cirro capillorum madente, qui umero adhaerebat, *Mellita* aspectum praebuit athletriae victoriosae.

*Terentius Young* scaenotheta postea hanc scaenam appellavit picturam *mulieris omnium umquam grandissimae*<sup>11</sup>, licet îdem hîc iudicet in propriâ causâ, tamen cinematologi inter se consentiunt *Ursulam* hac personâ gerendâ vehementer valuisse ad coaequales atque posteriores. Haec mulier Helvetia facta est antecessrix novi typi mulierum simulque mater omnium puellarum, quae postea apparuerunt in cinematibus *Iacobi Bondii*.

### Natatrix athletica



Primo aspectu typus *Puellae Bondianae* contrarius est omnibus, quae feministriae postulant a muliere suâ ideali: Talis puella oportebat simpliciter esset pulchra, pauca tantum diceret, necnon utilis esset ad magni herois libidinem explendam. Tamen persona *Puellae Bondianae* est intricatior.

<sup>11</sup> orig. „the greatest woman’s in a picture“

*Puellae Bondianae* neque in fabulâ romanicâ neque in cinemate nihil sunt nisi famulae pulcherrimae voluntatis propriae expertes et res herois accessoriae incarnatae. Reverâ hae puellae sunt etiam sociae et compugnatrices. Talis typi exemplum est *Honeychile Rider* (qualis appellatur in fabulâ romanicâ, quae scaenothetae fuit exemplo), mulier, quae numquam se subicit antequam se defendit fortissimê.

*Honeychile Rider* puella quinque annos nata parentibus orbata est, apud nutricem adolevit et inde ex aetatis anno quinto decimo sôla vixit suo Marte. Quae est mercatrix autonoma. Nam mercaturam facit lucrosam concharum. Earum pulcherrimas collectas in *Miami* vendit philotheoris. In fabulâ ab *Iano Fleming* scriptâ pulchritudo puellae uno tantum mendo deminuitur: eius nasus erat diffractus. Nam violata est cum constupraretur; quod stuprum violentum interim ulta est eo, quod constupratoris in lectum subintroduxit *latroductum*, i.e. araneam venenosissimam eandemque femininam, quam dicit veneno magis abundare quam masculinas<sup>12</sup> – et ut libidinem ulciscendi saturaret, aspectavit virum lentê et dolorosê morientem.



<sup>12</sup> orig. „A female. They are the worst“.

At *Ursula Andress* non debuit personam gerere huius mulieris, sed *Mellitae Equitissae*. Illo tempore, quo in balneo Bernensi et in flumine *Abrinca*<sup>13</sup> saepissimê nataverat, exercitiis durissimis iam corpus suum excoluit athleticum. Sui autem voluntatem autonomiae eo demonstraverat, quod 17 annos nata ex angustiis Bernensibus domoque avi sui tyrannici effûgit.

Eius pater, Dresdensis hortulanus *Rolf Andress*, post crisin oeconomiae mundanae immigraverat in Helvetiam. In oppido *Ostermundigen* invênit locum operandi apud hortulanum *Kropf*, et vix anno transacto in amorem inciderat filiae possessoris. Paulo post *Anna Kropf* gravida fuit. At gener Germanus in familiâ Helveticâ non fuit gratus, praesertim pater familias eum non dilexit. *Kropfius* hortulanus *catulastrum pigerrimum*, qualem patrem Ursulae in epistulâ quadam ad magistratûs Bernenses scriptâ appellavit, expulit eique interdixit, ne in domum suam veniret. Tum *Andressius* pater sex filiorum munus accepit apparitoris apud legatum Germanum Bernensem. At deinde vitae suae commisit errorem gravissimum: A.1940 membrum factum est factionis nacistarum (NSDAP): bello finito propterea ex Helvetiâ est expulsus.



*Ursula* eiusque fratres et sorores tutorem acceperunt avum malignum. Postea *Ursula* a diurnario rogatus dixit sibi nullo tempore alio umquam tam durê laborandum fuisset quam sub avo suo.


*Ursula* 17 annos nata Bernae *Danielem Gélin* histrionem Francogallum cum cognovisset, cum eodem Parisios aufûgit. Ibidem dicitur cursûs participavisse institutorios, qui spectaverunt ad picturam et artem sculptoriam et saltationem. Sed certê non nimis studiosê dedita erat his rebus discendis, nam paucis mensibus post *Ursula* iam fuit Romae, ubi

<sup>13</sup> **Abrinca**, -ae m. *Aare* i.q. fluvius qui fluit prope Bernam.


versabatur in circulis artificum aliorumque incolarum Italiae quoquomodo eminentiorum, qui nocturno tempore inter se congregabantur in Viâ Venetâ.



Facultas histrionia *Ursulae Andress* cognita et fota est a *Marlon(o) Brando(ne)*. Qui Americanus histrio celebratissimus a.1955 praemio Oscariano honoratus Romae Ursulam cognovit. *Ursula* iam tres personas gesserat cinematum minoris momenti et incerta erat, quonam modo honores captura esset in rebus cinematographicis.



Ut omnes viri, quos *Ursula* illo tempore Romano cognovit, etiam *Brando* eam voluit ad personas cinematum gerendas adducere – et ad lectum secum inscendendum. Nec aliter ac alii viri *Marlonus* promisit illud et fecit hoc. Sed hic amator *Ursulae* promisso stetit. *Brando* iuvenecam Helvetiam in aeroplano collocavit *Aquifolietum* volaturo et telephonavit cum



*Paramount* societate cinematographicâ, ut *Ursula* acciperet contractum personae gerendae. Eae res, pro quibus aliae vendidissent ipsam animam suam, *Ursulae* ultro oblatae sunt et libentissimê.



## ECCE URSULA „UNDRESS“

*Quam pulchra es, amica mea ! quam pulchra es !*

»Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro; omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendant ex ea, omnis armatura fortium... *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* ... Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris...«

SALOMO, Canticum canticorum 4

Spatio sex annorum Aquifolieti personae gerendae ei oblatae sunt acervatim. Quae omnia recusavit. Nam nolebat esse histrionissa, verebatur, putabat se esse indolis parum aptae.

At die sua natali vicesima quinta Ursula accepit librum scaenarium, quo vita eius est mutata. In domo Ursulae celebrans sedebat grex convivarum illustris. Vespere procedente Ursula librum scaenarium cinematis „*Doctoris No*“ convivis suis in gyrum dedit. *Kirkius Douglas* magnâ voce recitavit verba ex eodem libro excerpta et circulus vehementer cachinnabat de argumento cinematis simplici et persona *Mellitae Equitissae* humili.

### **Nativitas novi generis mulierum**

Duabus septimanis postquam cinema „Dr. No“ primo monstratum est, Angli diurnarii *Ursulam Andress* appellaverunt „*puellam totius mundi pulcherrimam*“<sup>14</sup>. Quae puella subito facta erat histrionissa celebratissima. Sed ad hoc phaenomenon explicandum neque sufficiunt eius pulchritudo neque facultas histrionia.

In hac parvâ personâ cinematographicâ primi cinematis *Iacobi Bondii* mulier et figura et spiritus temporis tam perfectê inter se convenerunt, tam admirabiliter ad iconisma sunt compositi, ut omnis spectator omnisque spectatrix statim intellegeret scaenam, quae in hâc cinemate ad lîtus harenaceum coram caelo Caribico ageretur, esse grandem et admirabilem et oblivione indelebilem. Nam eâdem scaenâ natum est novum genus mulierum. Eo quod *Ursula Andress* gessit hanc personam, ad lîtus maris advecta est mulier moderna. Ista autem fuit res stupendissima.

DIE WELTWOCHE, Zürich Nr.19 -12.Mai 2022, p.16-17: Die Schaumgeborene. Ursula Andress und die Landung der modernen Frau. Peter Wälty.

**HANC SYMBOLAM  
TURICENSIS PERIODICI HEBDOMADALIS  
C.T. »«DIE WELTWOCHE«  
SCRIPSIT  
PETER WÄLTY  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

<sup>14</sup> orig. „the most beautiful girl in the world“.



## URSULAE ANDRESS SYMBOLA WIKIPEDIANA

[https://de.wikipedia.org/wiki/Ursula\\_Andress](https://de.wikipedia.org/wiki/Ursula_Andress)



**Ursula Andress** nata est d.19. m.Mart. a.1936 in oppido *Ostermundigen*, quod situm est in Helvetiae cantone *Bernae*). Eadem mulier est histrionissa helvetica, quae ad summam claritudinem pervênit prima puella Iacobi Bond speculatoris secreti (*James Bond 007*) in cinemate a.1962 confecto, c.t. „*Dr. No*“ et deinde incohavit cursum honorum internationalem. *Ursula Andress* a.1964 honorata est Globo Aureo (*Golden Globe*).

**Anni priores.** *Ursula Andress* nata est filia Germani *Rolf Andress* et mulieris Helvetiae. Rumor fert patrem eius consulem Bernensem causis politicis ex Helvetiâ expulsum esse. Deinde avum, qui prope Ostermundigen tabernam fecit hortariam, curavisse Ursulam eiusque quinque fratres et sorores. Ursula annos suos puellares respectans describit fuisse „*incredibiliter unicos, paene monentes condicionum vivendi saeculi septimi decimi*“. Duro labore in officina avi severi exanclando se didicisse respectum et disciplinam; eodem se tantam vim animae accepisse, ut superaret omnia vitae impedimenta.

*Ursula* Bernae scholam puellarum frequentavit, quam 16 annos nata reliquit. Postea iit Parisios, ubi cursus institutorios saltandi, delineandi, sculpendi participavit. Deinde Romae exemplar fuit pictoribus photographisque necnon varias linguas didicit. Artâ amicitîâ *Ursula* coniuncta erat cum *Iacobo (James) Dean*. Eadem bene recordatur d.30. m.Sept. a.1955, quo îdem *Iacobus* infortunio mortuus est. *Ursula*: „Matutino tempore“ inquit „*Iacobus* vênit, ut me secum abduceret. Qui dixit: „Veni, unâ vehamur versus Franciscopolin.“ Eo momento temporis venisse *Iohannem (John) Derek*, qui postea fuisset maritus sui. *Iacobus* autem *Iohannem* videns scivit me amare *Iohannem Derek*. Qui dixit: „*Bene, Iohannes, unâ vehamur*“ et unâ cum *Iohanne* per tribum rapidissimê vectus est, ut colloquium cum eodem haberet viris dignum. Reversus autem dixit: „*Nunc scio te non unâ mecum ituram esse*“. Deinde *Iacobus* abiit. Puto hoc eius fatum fuisse.“ *Ursulam Iohanni* nupsit a.1957, a.1966 cum eodem divortium fecit.

**Cursus honorum histrionius.** *Marlonus Brando* dicitur *Ursulae* suasisse, ut incoharet cursum honorum histrionium. Eadem a.1955 accepit primam personam gerendam cinematographicam in cinemate, c.t.: *Casanova – eius amores eiusque pericula*.

*Ursula* in summam claritudinem pervênit a.1962 prima puella *Bondiana* seriei cinematum, quae spectat ad *Iacobum Bondium* speculatorem secretum 007; in primo omnium huiusmodi cinemate, c.t. est „*Dr. No*“, *Ursula* personam gessit *Melitissae Equitissae (Honey Ryder)*, quae est urinatrix concharumque indagatrix. Scaena illa, in quâ *Ursula* candidâ vesticulâ bicinianâ et zonâ vestita escendit e maris fluctibus, usque nunc celebratur ab historicis cinematographiae. Quo erat corpore atletico, eadem vehementer valuit ad personam mulieris modernae pulchrae necnon autonomae. A.1964 *Ursula* optima histrionissa iuvenis accepit praemium Globi Aurei. A.1967 eadem in cinemate „*Casino Royale*“ iterum ante cinematocameram stetit puella *Bondiana*; at hoc cinema non refertur in numerum cinematum officialiter *Bondianorum*. A numerosis redactionibus periodicorum *Ursula* electa est „*Omnium optima puella Bondiana*“, cum a ceteris tum praecipuê a.2006 ab „[Empire Magazin](#)“ et a.2008 ab „[Entertainment Weekly](#)“.

*Ursula Andress* imaginem Veneris temptatricis sibi adscriptam studiosê colens per annos sexagenarios et septuagenarios in multis cinematibus internationalibus personas gerebat ad eandem quadrantes. Propter personas

quas eadem gerebat vesticulis brevissimis induta a criticis per paronomasiam irrisoriam appellabatur *Ursula „Undress“* („*Devestita*“).

A.1981 *Ursula* apparuit in cinemate c.t. *Pugna Titanum*. Postea praecipuê personas gessit in fabulis televisificis.

**Personalialia.** A.1965 *Ursula* in editione mensis Iunii periodici „*Playboy*“ photographematibus a marito receptis apparuit *nuda*. A diurnario rogata, cur *nudam* se ipsam obtulisset photographandam respondit: »**Quia pulchra sum.**« Divortio cum Iohanne facto per octo annos convixit cum *Iohanne Paulo Belmondo* Francogallo histrione, quocum personam praecipuam gessit in cinemate a *Philippo de Broca* confecto, c.t. *Les Tribulations d'un chinois en Chine* (a.1965). Aetate 44 annorum *Ursula* peperit a.1980 filium nomine *Dimitri Alexander*, cuius pater est histrio *Harry Hamlin*, quem cognoverat inter labores cinematis conficiendi, c.t. *Clash of the Titans*, in quo personam gessit *Veneris*.

D.18. m.Maii a.2006, quo consulatus generalis Helvetiae in Scotiâ est inaugurata, in urbe *Edinburgii* *Ursula Andress* diem suam natalem septuagesimam celebravit in nave quae appellatur *Britannia*. Puella olim *Bondiana*, histrionissa nunc celebratissima nobilissimo eodem autocineto *Britannico* fabricationis *Aston Martin DB5* *Britannico*, quo vectus *Sean Connery* histrio sui consors in cinematibus *Goldfinger* et *Thunderball* in claritudinem pervenerat, nunc ad *Britanniam* celocem regalem sollemniter adducta est. *Ursula Andress* cum *Sean Connery* usque ad finem eius vitam coniuncta erat amicitîâ artissimâ. Quem *Ursula* appellat „*magnum amicum*“.



ECCE **URSULA ANDRESS** EIUSQUE **AMICUS**  
**SEAN CONNERY** (+ 31.10.2020)

***Tempora mutantur et nos  
mutamur in illis...***



A.2006 Ursula Andress diem natalem suum septuagesimum celebrat in nave celoci »Britanniâ«

Nonnullis ex annis *Ursula Andress* non iam solet ad publicum prodire. Per exceptionem a.2019 in urbe Bernae apparuit in *Chalet Muri*. *Claudius Righetti* organisator eventuum Bernensis, qui non est unus ex *Ursulae* familiarissimis, sed ex 20 annis etiam eius dispensator, eam quoque invitavit ad expositionem artificiorum *Amandae Lear* spectandam. *Ursula Andress* hodie vivit in residentiâ suâ Romanâ.

#### CINEMATOGRAFIA URSULAE ANDRESS

- 1954: [Ein Amerikaner in Rom](#) (*Un americano a Roma*)
- 1955: *Casanova – Seine Lieben, seine Abenteuer* (*Le avventure di Giacomo Casanova*)
- 1955: *La catena dell'odio*
- 1962: [James Bond jagt Dr. No](#) (*Dr. No*)
- 1963: [Acapulco](#) (*Fun in Acapulco*)
- 1963: [Vier für Texas](#) (*4 for Texas*)
- 1965: *Hetzjagd in Ketten* (*Nightmare in the Sun*)
- 1965: [Herrscherin der Wüste](#) (*She*)
- 1965: [Was gibt's Neues, Pussy?](#) (*What's New Pussycat*)
- 1965: [Die tollen Abenteuer des Monsieur L.](#) (*Les tribulations d'un Chinois en Chine*)
- 1965: [Das 10. Opfer](#) (*La decima vittima*)

- 1966: [Der blaue Max](#) (*The Blue Max*)
- 1966: Einmal noch – bevor ich sterbe (*Once Before I Die*)
- 1967: [Casino Royale](#)
- 1968: Ladies, Ladies
- 1969: Der Stern des Südens (*The Southern Star*)
- 1970: Treffpunkt London Airport (*Perfect Friday*)
- 1971: [Rivalen unter roter Sonne](#) (*Soleil rouge*)
- 1975: [Diamantpuppe](#) (*L'ultima chance*)
- 1975: Asphalt Katze (*Colpo in canna*)
- 1975: Operation misslungen – Patient lebt (*L'infermiera*)
- 1976: [Africa Express](#)
- 1976: Lollipops und heisse Höschen
- 1976: Scaramouche – Der Teufelskerl (*Le avventure e gli amori di Scaramouche*)
- 1976: [Safari Express](#)
- 1977: Vom Blitz getroffen (*Doppio delitto*)
- 1978: [Die weisse Göttin der Kannibalen](#) (*La montagna del dio cannibale*)
- 1979: Wilde Betten – Lippenstift-Tigerinnen (*Letti selvaggi*)
- 1979: [Das Geheimnis der eisernen Maske](#) (*The Fifth Musketeer*)
- 1981: [Kampf der Titanen](#) (*Clash of the Titans*)
- 1982: Mexico in Flammen (*Krasnye kolokola, film pervyy – Mexika v ogne*)
- 1982: Perdóname, amor
- 1985: Liberté, égalité, choucroute
- 1988: [Klassezämekunft](#)
- 1997: Cremaster 5
- 2005: [Die Vogelpredigt oder Das Schreien der Mönche](#)

#### Cinemata televisoria

- 1962: Thriller: (Fernsehserie, Folge 2x17: *La Strega*)
- 1983: [Ein Fall für Professor Chase](#) (Fernsehserie, Folge 1x01: *Manimal*)
- 1983: [Love Boat](#) (Fernsehserie, Folgen 7x01–7x02)
- 1986: Peter der Grosse (Fernseh-Miniserie)
- 1988: [Falcon Crest](#) (Fernsehserie, 3 Folgen)
- 1988: [Jack Clementi](#) – Falsches Spiel (*Big Man: Diva*; Fernsehserie)
- 1989: Das Geheimnis von Pier Sechs (*Man Against the Mob: The Chinatown Murders*; Fernsehfilm)
- 1991: Ti ho adottato per simpatia (Fernsehfilm)
- 1992: Primero izquierda (Fernsehfilm)
- 1993: [Prinzessin Fantaghirò Teil III](#) (Fernsehfilm)
- 1994: [Prinzessin Fantaghirò Teil IV](#) (Fernsehfilm)
- 1996: Alles gelogen (Fernsehfilm)

#### Praemia

- 1964: [Golden Globe als beste Nachwuchsdarstellerin](#) für *James Bond jagt Dr. No*
- 1966: Nominierung für den [Henrietta Award](#) in der Kategorie „Beliebteste Darstellerin des Jahres“
- 2006: Empire Magazin – „Bestes Bondgirl aller Zeiten“
- 2007: DIVA – Lifetime Achievement Award

#### Litterae

- [Michael Marti](#), Peter Wälty: *James Bond und die Schweiz*. Basel 2008, [ISBN 978-3-905800-20-3](#).
- Michael Scheingraber: *Die James-Bond-Filme*. Hrsg. von Joe Hembus. Goldmann, München 1979, 220 S. (Goldmann Magnum; 10203) (Citadel-Filmbücher) [ISBN 3-442-10203-0](#).
- Graham Rye: *Die James-Bond-Girls*. [von Dr. No bis Goldeneye]. Übersetzung: Walther Wuttke. Heel, Königswinter 1995, 70 S., [ISBN 3-89365-478-X](#). (Einheitssachtitel: The James Bond girls)
- Sven Siedenber: *Do you remember? Kleines Album vergessener Helden*. Deutscher Taschenbuch-Verlag, München 2005, 139 S. (dtv 20839), [ISBN 3-423-20839-2](#).
- Susanna von Werra: *Berühmte Persönlichkeiten, Band I: 100 zeitgenössische Filmschauspieler und Filmschauspielerinnen. Lebensläufe und Horoskope; Band II: 100 Regisseure und klassische Filmschauspieler und Filmschauspielerinnen. Lebensläufe und Horoskope*. Edition Astrodate, Wettswil (Schweiz) 1989, 450 Seiten.

<https://www.youtube.com/watch?v=FQXnfjBd-hA>



**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
DE URSULA ANDRESS  
THEODISCE SCRIPTAM  
LATINE REDDIDIT  
LEO LATINUS**

**FLAGITATIO FLAGRANTISSIMA ET URGENTISSIMA:**

**OSKAR LAFONTAINE (\*1943)**  
qui fuit Saraviae Praeses ministerialis (1985-98)  
et minister rerum financialium et praeses factionis sociodemocraticae  
(SPD, a.1995-99), postea praeses Factionis Sinistrae.

**DOMINE CANCELLARI  
FOEDERALIS,**

**APERI**


**GASIDUCTUM**

***Nord Stream 2***

**!**

*Si cogitas de populo deque pretiis energiae, una tantum restat solutio  
problematis energiae: Necessae est novum gasiductum expedire, ut  
evitemus omnium pessimum.*

*Scrispsit Oskar Lafontaine, in Latinum convertit Leo Latinus.*



## ECCE DOMINUS ET VASALLUS

Germania nunc disputat de publicis oecis calefactoriis, in quibus iis hominibus liceat morari, qui pauperiores sint quam ut domi utantur calefactorio. *Robertus Habeck*, Germaniae minister de-industrializationis, nunc rarius et brevius sumit lavacra pluvia et commendat, ut domûs quam plurimae instruantur antliis caloris.

Haec res autem eo difficilis est, quod homines in domibus vetustioribus habitantes minus habent pecuniae, quam ut suasiunculas istius *prasinosophistae*<sup>1</sup> ad effectum adducant. Qui iterum iterumque id assequitur, ne irrideatur, quamquam homines monet, ut caveant effectûs

<sup>1</sup> \**prāsinosophista*, -ae m. orig. *grüner Guru*.



politicae artis suae ineptissimae. Ipse enim dicit nobis exspectandam esse rem pessimam et Germaniae imminere temptamen diruptionis<sup>2</sup>.

Nuper quidam diurnarii in emissione televisificâ, c.t. „ARD-*Presseclub*“, senserunt bene se habere possessores calefactorii olearii, quia eorum ratio nummaria tantummodo duplicaretur, cum illi infelices, quibus pro calefactione gasicâ solvendum esset, deberent multo plus pecuniae erogare. Instituta vaticinantur, si Germania in futurum omnino nullum gasum russicum accepisset, factum iri subitam deminutionem oeconomiae 12 % (partium per centum) et amissionem 5 milionum locorum operandi.

### **Vassintoniensibus monstrandum esse, ubi sint limites oboedientiae**

Non iam patior lamentationes nostrorum politicorum atque diurnariorum fide non dignas, qui verbis efferant, quanta perturbationes sociales efficiantur pretio gasi triplicato. Si a nullâ re publicâ energiam accipere possumus nisi a talibus, quales sunt *Civitates Americae Unitae* et *Arabia Saudita* et *Cataria* et *Russia*, oportet eam praebitricem praeferre, quae habet mercem optimam atque vilissimam. Haec est *Russia*. Magis magisque apparet oeconomiam Germaniae etiam in aliis materiis crudis et partibus subsidiariis necessariis accipiendis coniunctam esse cum Russiâ.

Cum repetitio sit mater studiorum, oportet etiam hoc repetatur quam saepissimê: Si credimus non oportere, ut commercium habeamus cum quacumque natione, quae iura humana violat, oportet ne mercaturam faciamus cum Civitatibus Americae Unitis, quae sunt natio pro plerisque violationibus iurum humanorum totius mundi responsabilis.

At eadem ipsae etiam sunt participes responsalitatis crisis gasicae. Nonne perodiosum fuit aspectare Vassintonii *Iosephulum Bidenium* in conferentiâ diurnariâ *Olao Scholzio* misericulo cancellario verbis et gestibus imperiosis dictitantem, quis reverâ decerneret, utrum gasiductus Maris Baltici, q.d. *Nord Stream 2*, expediretur necne?

Quando tandem erit aliqui Germanus cancellarius, qui audeat Vassintoniensibus dicere, ubi sint limites oboedientiae? Spectanti mihi, quomodo nostri diurnarii atque politici se gerant coram Vassintoniensibus, quaero undenam veniat ista cupiditas Germanorum se ipsos subiciendi?

<sup>2</sup> temptâmen diruptionis i.q. *Zerreißprobe*.

Politicis salutis populi proprii prospicientibus nulla solutio problematis restat nisi haec: Necessae est expediamus gasiductum *Nord Stream 2*, ut evitemus omnium pessimum. *Carolus De Gaulle* adhuc scivit *res publicas non habere amicos, sed studere commodis propriis accipiendis*. Ut Americanastri ex centum annis conantur impedire, ne ars technica Germanorum coniungatur cum Russorum materiis crudis (quod verbis perspicuis dixit *Georgius Friedman* Americanus geostrategus), ita oportet gubernatio foederalis tandem intellegat sanctiones non nocere Russiae et Civitatibus Americae Unitis, sed imprimis Germaniae et Europae. Politici gubernationis participes iure iurando suo officiali iurant se omnia esse facturos, ut damnum avertant a populo Germanico. At reverâ numquam antea habuimus gubernationem, quae tantopere opulentiam populi in periculum adduceret.

### **Ucrainiam culpae belli effecti ipsam esse participem**

Generaliter tempus est cognoscere, quam vehementer valeat ad rem publicam nostram commercium cum Russiâ habendum. Nostra terra non potest esse opulenta nisi habeat industriam technicam quaestuosissimam. Tali autem industriâ Germania non potest instrui nisi habet Russiae materias crudas. Hoc a Civitatibus Americae Unitis iam pridem intellectum est, quare non a Germanis?

Gubernatio foederalis et diurnarii Germani non pridem possunt infitari ea quae nuper scripsit *Jeffrey Sachs* Americanus oconomus bene famatus: ***„Bellum Ucrainiense iam inde ex triginta annis petatum et praeparatum nunc ad effectum adduxerunt Americani Neoconservativi (Neocons). In gubernatione Bidenianâ iidem neoconservativi sedent, qui effecerunt bella Civitatum Americae Unitarum in Serbiâ (a.1999), in Afghanistaniâ (a.2001), in Iraciâ (a.2003), in Syriâ (a.2011) necnon in Libyâ (a.2011). Qui Russiam ita provocaverunt, ut in Ucrainiam impetum faceret.“***

Nonne *Victoria Nuland* nunc in administratione Bidenianâ munere ministrae rerum externarum vicariae fungens unâ sententiolâ famosissimâ sole clarius patefecit, qualis ratio politica intercederet inter nationem suam et Europam:

„*Fuck the EU*“. (i.e. *Laecasin dico*<sup>3</sup> *Unioni Europaeae*)?

Nuper *Poroschenko* praeses quondam Ucrainiae nobis in memoriam revocavit etiam suam nationem culpae belli effectae haud exiguê esse participem. Nam îdem concessit se *foedus* illud *Minscense* non pepigisse nisi ut satis multum temporis haberent ad terram suam armis et militibus instruendam.

Cum gubernatio in energiâ venâ industriae germanicae vitali suppeditandâ graviter peccaverit, oportet animum capiat errorem corrigendi. Nulla enim gubernatio foederalis ius habet miliones Germanos pauperiores faciendi et oeconomiam Germaniae ad interitum vocandi.

Oskar Lafontaine quondam fuit praeses factionis socio democraticae (SPD) et minister rerum financialium.

**HAEC VERBA  
OSCARII LAFONTAINE  
THEODISCE SCRIPTA  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

<sup>3</sup> **Laecasin dīcō alicui** cfr PETRON.sat.42,1-2 (ed.Müller/Ehlers, München 1978, p.76) Excepit Seleucus fabulae partem et ‚ego‘ inquit ‚non cotidie labor; +baliscus+ enim fullo est, aqua dentes habet, et cor nostrum cotidie liquescit. Sed cum mulsi pultarium obduxi, **frigori laecasin dico**. Nec sane lavare potui; fui enim hodie in funus. - cfr Petron, Satyricon, Ein römischer Schelmenroman, übersetzt und erläutert von Harry C. Schnur, Stuttgart 1968, p.50: „Seleucus schwätzte weiter: ‚Ich geh nicht täglich ins Bad. So’n Bad walkt einen richtig durch; das Wasser hat Zähne, und jeden Tag wird das Herz schwächer. Aber wenn ich mir einen Pott Honigwein einverleibe, **kann mich das kalte Wasser am Arsch lecken**. Heute konnte ich überhaupt nicht baden; ich war auf eine Leich gegangen.“ - cfr OLD p.995: „**laecasin** [= Gk. λαικάζειν ‚fellare‘] ~ *dicere* (as a vulgar imprecation) **To tell to go to hell**; (written in Gk. MART.11.58.12). cum mulsi pultarium obduxi, frigori ~ dico PETR.42.2. – cfr Petronius Arbiter. Petronius. Michael Heseltine. London. William Heinemann. 1913: [42] Seleucus took up the tale and said: I do not wash every day; the bathman pulls you to pieces like a fuller, the water bites, and the heart of man melts away daily. But when I have put down some draughts of mead **I let the cold go to the devil**.<sup>1</sup> Besides, I could not wash; I was at a funeral to-day. --- 1 *Laecasin* is from the Greek λαικάζειν, Latin *fellare*, sensu obsceno. “ - <https://nodictionaries.com/text-word-note/3547767-cotidie-liquescit-sed-cum-mulsi-pultarium-obduxi-frigori-laecasin-dico-nec>: „Speaker is a Greek freedman. "laecasin" is a transliteration of the Greek infinitive of λαικάζω. Can mean "to deceive" (L&S) but in common speech (as here) means "**to f\*\*k off**" (also in L&S). The sense is "when I get pissed, I tell the cold to go and f\*\*\* itself"“.

<https://uncutnews.ch/wir-sind-keine-sklaven-landwirte-in-italien-spanien-und-polen-schliessen-sich-den-niederlaendischen-protesten-an/>

# „NOS NON SUMUS SERVI“



## Agricolae Itali Hispani Poloni se associant Batavis reclamantibus

[uncut-news.ch](https://uncut-news.ch) Juli 17, 2022

Agricolae Itali, Hispani, Poloni agricolis Batavis se associaverunt, ut reclamarent praeceptis gubernationum „prasinis“, quibus agricultura destruat e eo quod agricolae coguntur, ut deminuant usum laetaminis, quod continet nitrogenium.

Agricolae vehiculis tractoriis per vias Mediolanenses vehentes commeatumque impediunt: „Nos“ inquit „non sumus servi, sumus agricolae“.

Relator ephemeridis, q.d. *Morning Star* refert agricolis Italis propter gravem siccitatem, quâ tertia ferê pars productionis agriculturalis destruat, imminere grave discrimen.

*Stephanus Patuanelli*, Italiae minister agriculturae septimanâ ineunte coram parlamento dixit Italiae decenniis venientibus imminere amissionem 40 % (partium per centum) sui subsidiorum aquae.

Agricolae indicant se propter siccitatem amisisse 3 miliardas euronum necnon graviter vexari pretiis benzini exauctis, quia sumptûs benzinarii propter conflictum Ucrainiensem rapidissimê aggravati sunt.

In Hispaniâ agricolae per vias urbium *Badajoz* et *Granada* et *Albacete* vehiculis tractoriis vecti sunt necnon factae sunt reclamaciones propter penuriam victualium benzinique, ut nuntiat [EuroWeekly News](#).

In Poloniâ agricolae diebus septimanae praeteritae finalibus Varsoviam iter fecerunt, ut inflationi monetali aliisque gubernationis remediis reclamarent.

In Bataviâ reclamationibus factum est, ut plutei supermercatuum evacuarentur, quia aedificia conditoria obserata sunt vehiculis tractoriis aliisque machinis agriculturalibus – in istam actionem ut animadverteret, *Mark Rutte* praeses ministerialis, biocolytas arcessivit.

**DE AGRICOLARUM RECLAMATIONIBUS  
THEODISCE RETTULIT  
EPHEMERIS HELVETICA,  
q.d. [uncut-news.ch](#),  
LATINE REDDIDIT  
LEO LATINUS**

# TRICAE GERRAE APINAE URSIHIRCULANAE

<https://politikstube.com/moskau-wirft-baerbock-dummheit-vor/>

**MOSCUENSES BAERBOCCULAE EXPROBRARE  
STULTITIAM**



**ECCE BÄRBOCCULA  
BALBULA ET BACEOLA  
MINISTRULA RERUM EXTERNARUM**



**ECCE SACHAROWA  
ELOQUENS ET ERUDITA  
LOCUTRIX GUBERNATIONIS**

Russia negavit se responsalem esse pro pretiis victualium exauctis et periculo famis ubiquitariae et opprobria huiusmodi ab *Annalenâ Bärbock* ministrulâ rerum externarum foederali (membro factionis prasinae) dicta acriter reppulit.

*Maria Sacharowa* Russa locutrix officii externi in canali suo Telegramiano scripsit pretia exaugeri propter sanctiones occidentales. Eadem ad Bärböcculam conversa: „*Si hoc non intellegitur, inde apparet aut stultitia aut voluntas homines in errorem inducendi*“.

Alteram causam crisis victualium globalis esse dilapsionem Ucrainianae structurae statalis – necnon pro eâdem occidentales esse responsales. Sacharowa contendit „*eiusdem rei culpam contraxisse cum alios tum antecessores Dominae Bärbock, qui non solum se intermiscuissent rebus huius terrae internis, sed etiam ipsi vim habuissent ad res Ucrainiae internas atque externas mutandas*“.

## **BAERBOCCULA EXPLICAT QUOMODO FINIATUR CRISIS ENERGIAE\***

*»Sie verdrehen die Augen, aber so ist es!«*

»Et nos habemus – et hoc est novum – hoc etiam placet negotiationibus recenter conditis, e.g. centra computatoria, magni supermercatûs, qui deinde ut fabricatores energiae in mercatum veniunt – et si refrigeratio e.g. - apud productorem giganteum – a temperaturâ 22 graduum negativâ in futuris ad 20 gradûs frigus deminuitur, tum gallinula adhuc friget, sed possumus ad onus fundamentale rete – et hoc est thema meum – ita stabilire, ut in reti actores diversi inter se exaequent. Ut brevius dicam: Ita, rete in futuris – *tu oculos distortes, sed ita est!* – in futuris rete etiam in conditurâ aliquatenus valebit...«

**Adnotatio interpretis:** *Sermo huius ministrulae sanê lepidus, sed non semper perspicuus, aliquatenus mihi redolere videtur Colloquia libertorum Petronii et Epistulas virorum obscurorum. Quid tibi videtur, cara Lectrix, care Lector? Spectatum admissi risum teneatis, amici?*

---

\*<https://politikstube.com/annalenas-loesung-zur-energiekrise/> - originaliter: »Und wir haben – und das ist neu – das ist auch interessant für Startups und Unternehmen, z.B. Rechenzentren, große Supermärkte, die dann als Energieerzeuger in den Markt reinkommen – Und wenn eine Kühlung z.B. - bei einem riesengroßen Produzenten – von minus 22 Grad in Zukunft dann auf minus 20 Grad runterkühlt, dann ist das Hühnchen immer noch kalt, aber wir können an der Grundlast das Netz – das war mein Punkt – so stabilisieren, dass sich im Netz die unterschiedlichen Akteure ausgleichen. Verkürzt: Ja, das Netz wird in Zukunft – Sie verdrehen die Augen, aber so ist es – in Zukunft wird das Netz eine Rolle auch bei der Speicherung spielen...«

## ANNALENA EX CATHEDRA DOCET DE HARMATIBUS BESTIARIIS\*

<https://www.youtube.com/watch?v=EnrppokfUg8>

»Was sind eigentlich diese **Tierpanzer**, die vorher niemand kannte?«

„Id est, nos hîc non solum disputamus de hac re: ‚Quo modo nos collocabimus militariter? Sed homines in hac terrâ timore sunt affecti – timore oeconomico – timore militari – puto multos vestrum ad mensam arcuballisticam sedentes disputare de hac re: Quidnam hoc valet? Quidnam sunt ista **harmata bestiarîa**, quae antea nemo noverat, et nunc loquimur de acinonýcibus, leopardis, melibus. Ista quidem est quaestio, de quâ prius hîc omnino non disputavimus. Et itaque mihi cordi est nos facere processum longinquum, non solum in phrontisteriis, non solum hîc in parlamento, sed etiam in officinis ad themata prorsus concreta spectantibus...“



### ACÍNONYX




---

\*originaliter: „Das heißt, wir diskutieren jetzt nicht nur darüber: ‚Wie wollen wir uns militärisch aufstellen? Sondern Menschen in diesem Land haben Angst – ökonomische Angst – militärische Angst – ich glaub viele von Ihnen am Armbrusttisch diskutieren darüber – Was bedeutet das eigentlich? **Was sind eigentlich diese Tierpanzer, die vorher niemand kannte**, und jetzt reden wir über Gepard, Leos, und Marder. Das ist doch ne Frage, die wir früher hier überhaupt nicht diskutiert haben. Und deswegen ist mir wichtig, dass wir ‚nen weiten Prozess machen, nicht nur mit Thinktanks, nicht nur mit Ihnen hier im Parlament, auch Workshops zu ganz konkreten Themen...“





**LEOPARDUS**



**MELES**





**TAXO**



**MUSTELA**



**LAPSÛS LINGVAE QUI ACCIDERUNT  
ANNALENAE MINISTRULAE**

<https://www.youtube.com/watch?v=3DL0eR7w98E>

**ANNALENA ELEMENTUM COBALTI CONFUNDIT CUM PUMILIONE MAGICO**



<https://www.youtube.com/watch?v=gG1XaYnz2Gk>

<https://www.youtube.com/watch?v=wleTVS3A6ps>

<https://www.danisch.de/blog/2022/02/23/baerbocks-sprachpoltern-ii/>

**ANNALENA DIXIT SE VELLE EUROPAM FINIRE  
ET GERMANIAM FACERE PAUPEREM:  
POSTREMAM PROMISSIONEM  
PAENE IAM ADDUXIT AD VERITATEM**

## ALTERA MINISTRULA HARMATOLOGA: ACINÓNYCEM NON ESSE HARMA

<https://www.youtube.com/watch?v=yCUuh5bINwM>



»Der Gepard ist kein Panzer – wird anders eingeordnet.  
Das ist der Unterschied.«

Germania Ucrainiam adiuvat ACINONYCE systemate defensionis antiaeriae.




**Christina Lambrecht ministrula defensionis  
in Conventu Foederali explicat,  
quare ipsa sentiat Acinónycem non esse harma \***

„Acinonyx non est harma – ad aliud genus attribuitur. Haec est differentia. Saltim haec est attributio inspectoris generalis exempli gratiâ aut consiliariorum militarium. Acinonyx scilicet utilis sit ad e.g. infrastructuram criticam etiam protegendam eo quod isto tubo in aëra iaculatur ibique obiecta potest comprehendere remotissima. Hoc harma non potest.“

\*originaliter: „Der Gepard ist kein Panzer – wird anders eingeordnet. Das ist der Unterschied. Zumindestens ist das die Einordnung des Generalinspektors beispielsweise oder der militärischen Beratung. Der Gepard ist ja dazu da, um kritische Infrastruktur z.B. auch zu schützen, dadurch dass er dann mit diesem Rohr in die Luft schießt und dort sehr weit Objekte eben auch erfassen kann. Das kann der Panzer nicht.“

**VAE RUSSIS! SANCTIONES  
IMMINENT DURISSIMAE:  
BAERBOCCULA PUTINO  
directê minatur sermone flagrantissimo:  
„CURABIMUS UT RUSSIA  
DECOQUAT!“**



»NUNC **BENE** AUDI, DOMINE PUTINE!«

<https://www.merkur.de/politik/ukraine-krieg-russland-baerbock-putin-sanktionen-wladimir-aussenminister-sergej-lawrow-eu-nato-zr-91374034.html> - Harte Sanktionen beschlossen: Baerbock droht Putin in Brandrede direkt - „Das wird Russland ruinieren“ d.26.02.2022, h.08:42 scripsit *Patrick Mayer*, Latinê reddidit *Leo Latinus*.

**In bello Ucrainiano ministri Unionis Europaeae externi decernunt sanctiones duras contra Russiae dominum principem Vladimirus Putinum. Deinde *Annalena Bärbock* orationem habet flagrantissimam.**

***Monaco/Bruxellâ ex urbibus*** – Oratio flagrantissima est per definitionem politica oratio invectiva et accusatoria, quâ tollantur res malae. Hôc sensu licet illas sententias, quas *Annalena Bärbock* (Prasina) Germaniae ministra rerum externarum dixit post conventum ministrorum Unionis Europaeae rerum externarum de conflictu Ucrainiano, habere pro oratione flagrantissimâ. Unio Europaea (EU) hac die Veneris (d.25. m.Febr.) decrevit sanctiones oeconomicas contra Russiam adhibendas tantas,

quantae, ut dixit *Iohannes (Jean) Asselborn* minister Luxemburgi rerum externarum „hôm in fasce remediorum numquam fuerunt“.

Clarê patet, qualis finis appetatur: Unio Europaea studet affligere *Vladimiri Putini* circulum potestatis intimum in Cremlino aut circa Cremlinum situm. Ut *Baerboccula* post sessionem in capite Belgii declaravit, Unio Europaea „duras“ sanctiones contra civitatis Russicae praepositum eiusque ministrum rerum externarum *Sergeium Lawrowium* adhibebit.


Baerboccula dixit Unionem Europaeam fascem sanctionum constrinxisse oeconomicarum et financialium, sed etiam sanctionum contra illos, qui responsales sint pro istâ atrocitate hominibus Ucrainiensibus allatâ et addidit haec verba aspera: „*His rebus Russia décoquet.*“

Eadem minsitra rerum externarum 41 annos nata perrexit narrare: »Nos affligemus systema Putinianum eo loco, quo affligendum est: non solum in rebus oeconomicis et financialibus, sed etiam in nucleo potestatis suae. Itaque indici sanctionum non solum inscripsimus oligarchontes, non solum numerosos legatos, sed indici nunc etiam inscribimus praesidem Russicae rei publicae, Dominum *Putinum*, et ministrum rerum externarum, Dominum *Lawrowium*.«

Baerboccula diurnarius alloquens dixit ambos esse responsales pro eo, quod »homines innocentes in Ucrainiâ moriuntur, isti sunt pro eo responsales, quo systema internationale pedibus conculcatur«. Russia multo mâne diei Iovis (d.24. m.Febr.) sine praemonitione impetum militarem in Ucrainiam fecit.

Interim milites Russi dicuntur progressi esse usque ad Chioviam caput Ucrainiae, ubi *Vitalis Klitschko* pugil quondam celebratissimus, defensionem dirigit. Nato foedus defensionis transatlanticum Civitatibus Americae Unitis et militiâ Germaniae foederali inclusis iam declaraverat se non participem fore belli Ucrainiani, quia Ucraina non esset membrum Natonis.

## ECCE PETAURUM POLITICUM



### ECCE POLITICI PETAURO SIVE \*RESULTACULO USI MIRUM IN MODUM BEATIFICATI

Vides **VERBA** (quibus in caelum se iactant) et **FACTA** (quibus recisuri sunt in pavimentum durissimum). En aspice **cancellarium** in medio volantem, a sinistris **ministerium rerum financialium**, necnon a dextris **ministrulam rerum externarum** ipsam petauri sive resultaculi (necnon iuris gentium) omnium peritissimam.

<https://weltwoche.ch/daily/putins-sieg-im-wirtschaftskrieg-der-russische-machthaber-hat-den-westen-in-der-tasche/>



## ECCE PUTINUM BELLI OECONOMICI VICTOREM:

### Russorum Praeses **vulpio veterator** Occidentales **in rutae folium conicit**<sup>1</sup>.

Rettulit [Oliver Stock](#) (*DIE WELTWOCH*E), d.29. m.Iun.a.2022, Latinê reddidit Leo Latinus.

Bellum oeconomicum, quod Putinus gerit contra occidentales, si hōc tempore consideratur ratione lusûs pedifollii, resultatum est 1:0 – pro Putino. Prout variamus rationem numerandi et arbitrii adhibendi, possumus etiam indicare proportionem quae est 2:0, immo 3:0.

Resultatum 1:0 clarê patet: Putinus in bello energiae victoriam peperit. Europa, praesertim Germania et Italia, nunc demum rectê intellexerunt, quantopere obnoxiae sint energiae Russicae suppeditandae – infeliciter hoc iisdem non prius contigit quam primo die post belli initium.

<sup>1</sup> **aliquem in rūtæ folium conicere** orig. *jn. in die Tasche stecken*, i.q. aliquem (adversarium) perfacile superare, aliquo longê superiorem esse. cfr PETRON.sat.37,8-10 (ed.Müller/Ehlers, München 1978, p.66) Ipse [Trimalchio] fundos habet, qua milvi volant, nummorum nummos. Argentum in ostiarii illius cella plus iacet quam quisquam in fortunis habet. Familia vero babae babae, non mehercules puto decumam partem esse quae dominum suum noverit. Ad summam, quemvis ex istis babaecalis **in rutae folium coniciet**. cfr op.mem. p.67: „Kurz und gut, jeden von diesen Ohlala-Fatzken da **kann er in die Tasche stecken**. - op.mem.112: PETRON.58,5 ...nisi dominum tuum in rutae folium non conieci ....p.83: „...wenn ich deinen Herrn nicht in die Tasche stecke“. – cfr Petronius Arbiter. Petronius. Michael Heseltine. London. William Heinemann. 1913, PETRON.37,10 „...Why, **he can knock any of these young louts into a nettle-bed**<sup>2</sup> if he chooses.--- „ *In rutae folium coniciet*. Literally “**will throw into a rueleaf**.” *Rutae folium is said by Friedländer to be a proverbial expression for a small space*. He refers to Martial XI, 31. The phrase occurs again in c. 58.“.



*Sero sapiunt Phryges.*

Ex illo tempore dominus Cremlini epitonium gasicum iterum iterumque attingens ad libitum efficit Germanis industrialibus nunc anxietatem nunc timorem Panicum. Simul pretia augentur et res publica desperans auxiliis pretii energiae deminuendae efficit, ut pretia pergant augeri.

Resultatum 2:0 imminet in bello tritici transportandi: Portûs ad Pontum Euxinum obserati, agricolae Ucrainii messem facientes colobiis protectoriis induiti, messes Russicae propter absentiam partium occidentalium deficientes – haec omnia interim vim habent ad homines ubique terrarum nutriendos.



Quae nutritio ibi, ubi iam semper erat egena, fit etiam difficilior. Putini consilium, quo mundo vim suam demonstraret, ad effectum adducitur.

Resultatum 3:0 fortasse notabit aliqui aestimator neutrius partis politicae, qui respicit effectum sanctionum oeconomicarum. Prima quidem vice ex plus centum annis Russia nunc non potuit solvere usuras mutui publici<sup>1</sup>. At difficultas non est in liquiditatis deficientia, sed in nulla alia re ac in rationibus technicis pecuniae transferendae, quae propter sanctiones occidentales sunt valde deminutae. - At Russia adhuc est – ut aiunt argentarii – liquida, i.e. pecuniae solvendae potens, quia energia vendenda multam pecuniam accepit.


<sup>1</sup> **mūtuum pūblicum** i.q. *Staatsanleihe* – government/state/ public loan/bonds – *emprunt/ fonds d'État* – *empréstito estatal/ del Estado* – *titolo di Stato*

Ergo sobrie id teneamus: Ratione militari, qua omnes Russiam magni aestimaverant, in initio huic nationi res haud bene successit.

At ratione oeconomicâ dominus Moscuensis victorias suas iam peperit.

<https://auf1.tv/nachrichten-auf1/die-bumerang-sanktionen-so-schadet-sich-europa-selbst-im-kampf-gegen-russland>

Procul dubio sanctiones ab occidentalibus decretae affligunt Foederationem Russicam quam regit Praeses Vladimirus Putinus. Nonnulli earum effectus a Cremlino occultantur, alii postea demum patefient. Tamen: Russiae numeri oeconomici nunc meliores sunt quam tribus mensibus ante. E contrario sanctiones ab occidentalibus decretae effectum habent *cateiae calamitosae*<sup>1</sup>.



Exempli gratiâ Civitates Americae Unitae et Unio Europaea voluerunt oeconomiam russicam suppressere monetae *rubli* infirmitate. At verisimile est hunc conatum non bene evasurum esse. Nam moneta russica postquam in initio delapsa est in profunditatem maximam, mirabili celeritate recreatur, quia gubernatio et argentaria centralis cursum monetae foverunt remediis numerosis, cum ceteris tum eo, quod civitatibus ingratis pro gaso russo solvendum est monetâ russicâ, i.e. rublo. D.28. m.Iun. a.2022 cursus rubli multo altior fuit quam ante bellum Ucrainianum. Etiam eo occidentales conati sunt oeconomiam Putini affligere, quod abstinerunt a Russorum gaso et oleo terreno. Nam circiter 40% (quadragenae partes centesimae) oeconomiae Russorum publicae accipitur gaso et oleo vendendis. At interim India facta est una ex importatricibus olei Russorum crudi maximis, nam eadem terra ex bello incipiente cottidie 800.000 (octingenta milia) *barreliorum* importat, cum antea tantummodo importaverit 30.000 (triginta milia). Diurnarii ephemeridis „*Wallstreet Journal*“ invenerunt fabricas olei eliquatorii Indicas benzinum et

<sup>1</sup> *cateia calamitōsa* i.q. orig. *desaströser Bumerang*.

dieselium ex oleo Russorum crudo fabricata vendere Civitatibus Americae Unitis necnon Unioni Europaeae proventu non indicato. Ergo Indi emerunt hoc spatio anni quartali tertia parte plus quam proximo praeterito. Ut brevius dicamus: India oleum Russorum crudum vile emit, in benzinum dieseliumque mutat eaque ingenti lucro vendit Americanis et Europaeis. Quale paradoxon! Praeterea inter Chinam et Russiam m. Februario a. 2022 convênit, ut Sinenses a Russis in proximos annos viginti quinque emant oleum et gasum pretio 100 miliardarum. E contrario gasica suppeditatio Europae, praesertim Austriae et Germaniae, vehementer periclitatur. Eo quod negotiatores GAZPROMiani effluxum gasiductûs Maris Baltici, qui appellatur Nordstream I, mutabant gubernationes europaeae terrore panico affectae sunt.



GAUCK Praeses quondam Germaniae foederalis:  
<https://www.youtube.com/watch?v=lisra4udwM4> (10.3.2022)<sup>2</sup>  
 »Oportet frigère pro libertate!«



Ut suppeditatio hiemalis certa fiat, e.g. conditoria Germaniae adhuc vehementer sunt complenda. Sed in praesenti eorundem tantummodo completae sunt 57% (quinguagenae septenae partes centesimae). *Robertus*

<sup>2</sup> originaliter: „Wir können auch einmal frieren für die Freiheit. Und wir können auch mal für ein paar Jahre ertragen, dass wir weniger an Lebensglück und Lebensfreude haben.“

*Habeck* Prasinus minister oeconomiae nuper statum necessitatis gasicae declarans cives adhortatus est, ut energiae parcerent consumendae. Quonam modo manifestius fieri potest cateiam calamitosam in iaculatorem eiusdem fataliter revolare, i.e. Germanos se ipsos gravius vexare sanctionibus quam Russos, quos punire voluerant? (*Putinus ridet*).

Ne loquamur de pretiis energiae, quae augentur rapidissime, quibus in fine etiam vexatur civis iam portionibus inflationis monetalis augescentibus vexatus. Ipsae materiae crude in industria autocinetica adhibendae paulatim rarescunt. *Aluminium, nicolum, cobaltum* et alia metalla maximam partem ex Russia importabantur. Circiter quinta pars *nicoli* magni valoris, quod adhibetur ad producta chalybis nobilitanda aut ad accumulatra autocinetorum electricorum fabricanda, ex Russis importata est. Rarescit etiam *palladium*, cuius dimidia ferê pars in toto mundo adhibenda ex regno Putina est importata: quod est materia cruda magni momenti, ad catalytra et cellulas materiae combustibilis fabricandas.



**„Eheu! Frigemus iam per duas horas plenas“. - „Immo ego lavacrum pluvium sumpsi gelidissimum!“ - „Tamen iste Putinus nondum evasit!“-**

Haud aliter res se habet in *chalybe* ad clavos fabricandos necessariâ, quae paene tota ex Russia importata est. Associatio foederalis ligna involvendi iam declaravit intra breve spatium temporis non inveniri posse aliam terram loco Russiae. Praeterea machinas fabricandi germanicas non posse ad alios clavos adaptari. Necnon aliquot miliones pegmatum<sup>3</sup> ex Russiâ et

<sup>3</sup> **pēgma**, -atis n. orig. *Palette*. [cfr Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.410, s.v. *Palette*: “<tech.> pegma, -atis n.”]



**WER DIE HEIZUNG ANMACHT  
UNTERSTÜTZT PUTIN!**

**CALEFACTIONEM NE EXPEDIAS:  
NOLI ADIUVARE PUTINUM!**

**"Кто включает отопление - тот поддерживает Путина!"**

Russiâ Albâ et Ucrainiâ si deessent, etiam cista transportatoriae et orbiculi capulorum<sup>4</sup> - magna calamitas fieret industriae quaestuosae et mercatura! Ne obliviscamur: Unio Europaea interdixit, ne importaretur laetamen minerale ex Russiâ et Russiâ Albâ. Itaque pretia laetaminis iam sunt quincuplicata. Multi agricolae iam timent, ne ideo decoquant. Quae cum ita sint, haud mirum est non omnes terras Unionis Europaeae etiam plus velle sanctionum - velut Hungariam.

Profecto periculum est, ne pluribus sanctionibus Russiae imponendis ideoque bello oeconomico continuando Unio Europaea adducatur in summam calamitatem. Ista cateia sanctionum procul dubio tantâ vi calamitosâ est, ut destruere possit totas oeconomias europaeas. ---

<sup>4</sup> orbiculus capulî orig. Kabeltrommel.

# NUM PRO UCRAINIA MINGAMUS SUB TUBULO MAMMATO ?

d.16. m.Iul. a.2022



Germani admonentur, ut minus calefaciant, minus comedant, minus lavacra pluvia sumant – et si sumunt, ut sumant gelida. Nunc admonemur etiam, ut, si in balneo non calefacto sumimus lavacrum pluvium gelidum, etiam mingamus in pedes. Itaque saltim digiti pedum calefient. <https://www.pi-news.net/2022/07/unter-der-dusche-wasserlassen-fuer-die-ukraine/>

*Scriptis KEWIL, Latinê reddidit Leo Latinus.* | Babae! Habecius minister noster oeconomiae et gubernatio semaphorica<sup>1</sup> necnon omnes Prasini dicunt nos debere parcere gaso consumendo. Tum optimê quadrat commendatio in „Funk“, planiformâ iuventutis stationum televisificarum ARD et ZDF facta: „*Is qui semel in die mingit lavacrum pluvium sumens, in anno potest parcere 2.200 (duobus milibus ducentis) litrarum aquae!*“

<sup>1</sup> **gubernatiō \*sēmaphorica** orig. „Ampelregierung“, „die Ampel“ (Ampel i.q. semaphorum). Sic ista gubernatio appellatur secundum colores factionum eiusdem participum: rubrum (socialistae), flavum (liberales), viridem (prasini, i.e. oecologici). Liceat obiter adnotare nullam istarum factionum dignam esse his coloribus symbolicis.

Haec idea verê vehementerque ingeniosa in planiformâ illâ iuventutis proclamata est ante duos dies, sed nondum satis efficaciter est propagata. Nam hanc ideam qui ad effectum adducit, non solum parcit permultis milibus litrarum aquae (i.e. *in latrinis vetustioribus 14 litris alioquin ad sellam familiaricam eluendam profundendis*, ut invênit diurnarius „*Mercurii Monacensis*“), immo, efficitur aliquid etiam lucrosius: „*Is qui mingit sub tubulo mammato, non solum parcit aquae consumendae, sed etiam eiusdem sumptibus.*“

Exempli gratiâ parcitur etiam chartae hygienicae adhibendae: „*Mercurius*“ pergit nos docere: *Nam aqua ad zonam pudendam purgandam multo aptior est quam charta hygienica, quia cutis aquâ tacta non atteritur.* Intellexistin‘? Ergo incipe! Sequere suasiunculam!

Tamen incertum est, quanto aquae et energiae parcatur **minctione** – sit venia verbo - **subtubulatâ**. Nam nemo certo scit, quot Germani iam pridem ex multis annis ante bellum Ucrainianum (*fortasse pigritiae aut voluptatis causâ*) cottidie minxerint sub tubulo mammato. Demoscopiae, quibus haec res indagetur, neque ab ARD neque ab ZDF usque nunc factae sunt. Tamen oportet ne Germani umquam desinant quaerere novas methodos parsimoniae minctoriae.

Hôc tempore in plerisque natabulis tectis et subdialibus temperaturae aquae deminuuntur, ut parcatur gaso consumendo pro Ucrainiâ, quae dicitur defendere etiam nostram libertatem nostraque bona moralia. Si omnes natatores natabulo immingerent, aqua semper esset tam iucundê tepidula, ut prorsus nullo egeremus gaso calefactorio. Nonne placet vobis hoc propositum utilissimum?

Rogo vos, ut proponatis quam plurimas methodos alias parsimoniae et aquaticae et gasariae necnon minctoriae. Pro Ucrainiâ. Pro libertate. Pro independentiâ energeticâ. Gratias plurimas! Слава Україні Sit gloria Ucrainiae.

DE PARSIMONIA MINCTORIA  
IMPRIMIS DE MINCTIONE SUBTUBULATA  
SCITE RETTULIT  
KEWIL  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS

# UVIUM SEELER GERMANIAE PEDIFOLLIARIUM ILLUSTRISIMUM ANIMAM EFFLAVISSE

d.21. m.Iuli a.2022



**ECCE UVIUS (A.1968)  
oblivione indelebilis  
R.I.P.**

*Uvius (Uwe) Seeler* Germaniae lusor pedifollii illustrissimus, secundum relationem ephemeridis „*Bild*“ anno aetatis suae octogesimo quinto mortuus est. Relator in paginâ huius ephemeridis interretialis die Iovis (21. m.Iul.) scripsit Uvium esse domi in circulo familiae suae artissimo pacificê obdormivisse.

*Uvius Seeler* tempore suo activo habebatur pro uno ex optimis huius mundi assultoribus medianis<sup>1</sup>.

Qui per totum cursum suum honorum lusit in Societate Disportivâ Hammaburgensi (HSV). Annis 1963/64 Uvius primus fuit Ligae foederalis *Rex iactuum portariorum*<sup>2</sup>. Cum esset dux manipuli nationalis, Germania a.1966 facta est altera a victrice certationis mundanae et a.1970 assecuta est locum tertium. Propter sua de pedifolio Germaniae merita *Uvius Seeler* ab Unione Germaniae Pedifolliariâ (DFB) a.1972 dictus est *Dux manipuli nationalis honoratissimus*<sup>3</sup>. Ex a.2003 *Uvius Seeler* fuit Hammaburgi urbis suae patriae civis honorabilis.

*Care Uvi, sit tibi terra levis !*

**R.I.P.**

<sup>1</sup> **assultor mediānus** i.q. *Mittelstürmer*. Holzer, Societas Latina 1938, p.20.

<sup>2</sup> **Rēx iactuum portariōrum** i.q. *Torschützenkönig*.

<sup>3</sup> **Dūx manipulī nātiōnālis honōrātissimus** i.q. *Ehrenspielführer der Nationalelf*.




# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

## Pierre Lachambeaudie

\* 16. Dezember 1806 bei Sarlat  
† 7. Juli 1872 in Brunoy bei Paris

Pierre Lachambeaudie war ein französischer Fabeldichter.



PETRVS LACHAMBEAVDIE  
 SCRIPTOR PRAECIPVVS  
 TER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE  
 NONIS IVLIIIS  
 E VITA EGRESSVS  
 AETATIS LXV

MMXXII

## Franz Blei

\* 18. Januar 1871 in Wien, Österreich-Ungarn

† 10. Juli 1942 in Westbury, New York, USA

FRANCI S CV S BLEI  
 ANTE CENTVM QVINQVAGINTA ANNOS  
 XV KAL. FEBRVARIAS  
 VIENNAE FILIVS SVTORIS NATVS  
 POSTEA EVASIT  
 AVCTOR AVSTRIACVS  
 SCRIPTOR OPVS CVLI EXIGENTIS  
 ET BONVS INTERPRES

MMXXI

FRANCI S CV S BLEI  
 AVCTOR AVSTRIACVS  
 SCRIPTOR OPVS CVLI EXIGENTIS  
 AC BONVS INTERPRES  
 ANTE BIS QVADRAGINTA ANNOS  
 VI IDVS IVLIAS  
 EX VITA EGRESSVS  
 AETATIS LXXI

MMXXII

# Hermann Burger

\* 10. Juli 1942 in Menziken

† 28. Februar 1989 in Brunegg



OCTOGINTA ANNIS ANTE  
VIIDVS QVINTILES NATVS  
ARMINIVS BVGER  
BONVS SCRIPTOR HELVETICVS  
ATQVE VIR LITTERATVS

MMXXII

Am 10. Juli vor achtzig Jahren wurde HERMANN BURGER geboren.  
Er war ein bedeutender Schweizer Schriftsteller  
**und ein Gelehrter (habilitierter Literaturwissenschaftler).**

## Michael Ventris

\* 12. Juli 1922

† 6. September 1956

Michael Ventris, von Beruf Architekt, entzifferte 1952 zusammen mit John Chadwick die Linear B, eine in der mykenischen und minoischen Kultur verbreitete Schrift.



[\(AUDIO\) Michael Ventris talking about the decipherment of Linear B \(1st July 1952, BBC Radio\) - YouTube](#)

MICHAEL VENTRIS

ARCHITECTVS

LINGVISTA INGENIOSVS

QVINQVIES VIGINTI ANNIS ANTE

IV IDVS IVLIAS NATVS

MMXXII

Der Architekt und geniale Linguist MICHAEL VENTRIS  
**wurde am 12. Juli vor 100 Jahren geboren.**

## Rosa Bloch

\* 30. Juni 1880 in Zürich

† 13. Juli 1922 in Zürich

Rosa Bloch war eine Politikerin der Schweizer Arbeiterbewegung des frühen 20. Jahrhunderts und Frauenrechtlerin.



ROSA BLOCH

INSIGNIS FEMINISTRIA HELVETICA

III IDVS IVLIAS

QVINQVIES VIGINTI ANNIS ANTE

TRICIEX VITA EGRESSA

MMXXII

Am 13. Juli vor 100 Jahren starb in Zürich  
die berühmte Schweizer Frauenrechtlerin

**ROSA BLOCH.**

## Nadine Gordimer

\* 20. November 1923 in Springs, Transvaal, heute Gauteng  
 † 13. Juli 2014 in Johannesburg

Nadine Gordimer war eine südafrikanische Schriftstellerin. Ihre Romane, Erzählungen und Essays behandeln vor allem die südafrikanische Apartheidpolitik und deren zerstörerische Folgen sowohl für die schwarze als auch für die weiße Bevölkerung. 1974 erhielt Gordimer den Booker Prize, 1991 wurde sie mit dem Nobelpreis für Literatur ausgezeichnet.



NA **DI**NE GOR**DI**MER  
 ANTE B**I**S Q**V**ATT**V**OR ANNOS  
 IOANNESB**V**RGI OB**II**T

MMXXII

Vor acht Jahren starb in Johannesburg

**NADINE GORDIMER.**

## Georg Kreisler

\* 18. Juli 1922 in Wien

† 22. November 2011 in Salzburg

Georg Kreisler war ein Komponist, Sänger und Dichter, der aus einer österreichischen jüdischen Familie stammte. Aufgrund seiner jüdischen Herkunft war er nach der Machtübernahme der Nationalsozialisten in Österreich 1938 mit seinen Eltern in die Vereinigten Staaten emigriert und nahm 1943 die US-amerikanische Staatsbürgerschaft an. 1955 kehrte er nach Europa zurück.

Sein berühmtes schwarzhumoriges „Tauben vergiften im Park“ ähnelt – zumindest hinsichtlich der Grundidee – Tom Lehrers „Poisoning Pigeons in the Park“, ein Lied, das Kreisler zwischen 1953 und 1955 in den USA gehört haben könnte. In seiner Autobiografie bestritt Kreisler jedoch ein Plagiat und schrieb dazu: „Ich möchte aber keineswegs behaupten, daß Lehrer das betreffende Lied von mir gestohlen hat, denn dann wäre ich ja nicht klüger als er. Viele Varianten sind möglich. Vielleicht hat jemand mein Lied gehört und ihm die Idee vorgeschlagen, ohne meinen Namen zu nennen. Ebenso gut ist es möglich, daß wir unabhängig voneinander auf dieselbe Idee kamen.“ Tom Lehrer selbst sagte in einem Interview: „Kreisler ist ein Wiener, der zwei meiner Lieder gestohlen hat“, und bedankte sich ironisch bei Kreisler dafür, seine Lieder dem deutschsprachigen Publikum zugänglich gemacht zu haben.

Quelle: Wikipedia

[Tom Lehrer - Poisoning Pigeons In The Park - YouTube](#)

[Georg Kreisler - Taubenvergiften - YouTube](#)

Q V I N Q V I E S V I G I N T I A N N I S A N T E  
 X V K A L . S E X T I L E S V I N D O B O N A E N A T V S  
 G E O R G I V S K R E I S L E R  
 C O M P O S I T O R C A N T O R C A B A R E T I S T A B O N V S

\* \* \*

« I N H O R T I S C O L V M B A S V E N E N A N S »

V I G I N T I L V S T R I S A N T E  
 X V K A L . A V G V S T A S V I N D O B O N A E N A T V S  
 G E O R G I V S K R E I S L E R  
 C A B A R E T I S T A N O B I L I S

M M X X I I

Der Komponist, Sänger und große Kabarettist GEORG KREISLER  
 wurde am 18. Juli vor hundert Jahren in Wien geboren.

\* \* \*

„Tauben vergiften im Park“

**Am 18. Juli vor hundert Jahren wurde in Wien**

## Claes Oldenburg

\* 28. Januar 1929 in Stockholm  
† 18. Juli 2022 in New York City, New York

Claes Oldenburg gehörte neben Andy Warhol und Roy Lichtenstein zu den bedeutendsten Vertretern der amerikanischen Pop Art.



CLAES OLDENBURG  
ARTIS POPULARIS AMERICANAЕ ARTIFEX  
XV KAL. SEXTILES  
EX VITA EGRESSVS  
R. I. P.

MMXXII

Der amerikanischen Pop-Art-Künstler  
CLAES OLDENBURG  
starb am 18. Juli.

**Möge er in Frieden ruhen.**




## Joachim-Ernst Berendt

\* 20. Juli 1922 in Berlin-Weißensee

† 4. Februar 2000 in Hamburg

„Eine besondere, herausragende Stellung nimmt der Musikkritiker und Produzent Joachim-Ernst Berendt in dieser Zeit ein; hat er doch den deutschen Jazz in den 1960er und 1970er Jahren maßgeblich geprägt. Ohne ihn hätten weder der europäische Free Jazz noch einzelne Musiker wie Albert Mangelsdorff, Rolf und Joachim Kühn und andere die Bedeutung, die sie heute für den deutschen Jazz haben. Berendt war der erste und bisher einzige Globalplayer unter den Jazzkritikern und Produzenten der deutschen Jazzszene, der sich für Jazz aus Deutschland im Ausland starkgemacht hat.“

Quelle: [DeWiki > Jazz in Deutschland](#)



QVI NQVI ES VIGINTI ANNIS ANTE  
 XIII KAL. AVGVSTAS NATVS  
 IOACHIM ERNESTVS BERENDT  
 PRAESIGNIS CRITICVS IASSIACVS

MMXXII

Am 20. Juli vor 100 Jahren  
 wurde der ausgezeichnete Jazzkritiker

**JOACHIM-ERNST BERENDT geboren.**

## Luigi Arditi

\* 22. Juli 1822 in Crescentino bei Vercelli

† 1. Mai 1903 in Hove bei Brighton



QVATER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE  
 XI KAL. SEXTILES NATVS  
 LVIGI ARDITI  
 PRAESIGNIS COMPOSITOR ET VIOLINISTA ITALICVS

MMXXII

Der ausgezeichnete italienische Komponist und Violinist

**LUIGI ARDITI wurde am 22. Juli vor 200 Jahren geboren.**

**HAEC CHRONOGRAMMATA**

**ARTIFICIOSE CONFECIT**

**TOBIAS RÖSSLER**

# CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

## KORREKTUR. Zum 10. Juli, dem 15. Sonntag im Jahreskreis Leseordnung C:

2022\* seqVere saMarItanVM pro paVperIbVs. – Folge dem <Beispiel des> Samariters für die Notleidenden. – vgl. Lk 10, 25-37

## Zum 16. Juli, dem Fest der Mutter Gottes vom Berge Karmel:

2022\* PIa, sIne fIne sIt et erIt tIbI gLorIa LIbanI et DeCor CarMeLI atqVe Saron. aLLeLVIA! – Du Gütige, in Ewigkeit möge und wird dir die Herrlichkeit des Libanon und auch die Schönheit des Karmels sowie des Saron zuteil! Alleluja! – vgl. die alte Magnificat-Antiphon des Festes nach Is 35,2

## Zum 17. Juli, dem 16. Sonntag im Jahreskreis Leseordnung C:

2022\* IesVs hospes renoVatVs a Martha atqVe MarIa. – Jesus, ein von Martha und Maria erquickter Gast.



P.P. Rubens und Jan Brueghel d.Ä., Jesus beim Besuch von Martha und Maria

Zum 22. Juli, dem **Fest der heiligen Maria Magdalena:**

2022\* **MagDaLena** seq**VaX** **IesV** **VIVens** **In VI**ta p**I**etat**Is** et p**Vr**itat**Is**, ante  
pe**CC**atr**IX** p**Vb**L**IC**a **VI**tae **LI**berae. –<Maria> Magdalena, eine Nachfolgerin Jesu  
im Leben der Frömmigkeit und Reinheit, war vorher eine öffentliche Sünderin in  
einem ausschweifenden Leben. –vgl. *Lk 8,2; Mk 15,40*



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

**Zum 24. Juli, dem 17. Sonntag im Jahreskreis Leseordnung C:**

2022\* <Pater noster, peto> **VenI**at nob**Is** regn**VM** t**VVM**! - <Vater unser, ich  
bitte> es komme für uns Dein Reich! – cf. *Lk 11,2; Mt 6, 9-10*

Zum 24. Juli, dem **Fest des hl. Nothelfers Christophorus:**

2022\* san**CtI** Inter**C**essores potentes **A**Chat**IV**s, Anna, Barbara, **B**Las**IV**s, **C**atar**I**na,  
**Ch**r**I**stophor**V**s, **C**orona, **C**Ypr**I**an**V**s, **D**Ion**Y**s**IV**s, **E**Vsta**Ch**IVs, **G**eorg**IV**s,  
**H**Vbert**V**s, **P**anta**L**eon, **S**ebast**I**an**V**sq**Ve**, orent pro tot**Is** nob**Is** et nostr**Is** aegrot**Is**

**InopIbVs In VIta terrestri et DIVtvno eXItV.**– Die heiligen mächtigen Nothelfer Achatius, Anna, Barbara, Blasius, Catarina, **Christophorus**, Corona, Cyprian, Dionysius, Eustachius, Georg, Hubert, Pantaleon und Sebastian, mögen für uns alle und unseren armen Kranken im irdischen Leben und im lange sich hinziehenden Todeskampf eintreten. – Eine herzliche Bitte an 14 Nothelfer – auch die heilige Corona ist wegen der nach ihr benannten Pandemie eingefügt, andere „offizielle“, wie Margarete, wurden der 14-Zahl (und des M = 1.000 im Namen) wegen ausgelassen; das „divtvno = allmählich“ beim Tod ist genommen, weil bei dieser Corona-Pandemie, wenn kein Atmungsgerät vorhanden ist, der Erstickungstod langsam und qualvoll eintritt.- NB: Jeder sollte auch seine eigenen Nothelfer haben; im Himmel gibt es unter den Heiligen keinen Neid!!





Wallfahrtskirche Vierzehnheiligen, Gnadenaltar . 12743-1772

**PIA HAEC CHRONOGRAMMATA CONFECIT PATER  
HERBERTUS DOUTEIL BRASILIENSIS**

# ECHUS VOCES ET EPISTULAE

## URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

Am 12.07.2022 um 15:36 schrieb Urbano dos Santos Ferreira:

Urbanus Leoni Latino salutem. S.B.V.B.E.E.B.V.

**Salve, Leo noster carissime!**

Una cum discipulis meis consilium cepi ut, in altera parte mensis Iulii, Latine ageremus de Brasiliæ civitatibus provincialibus (quæ sunt viginti sex) deque earum capitalibus urbibus. Ad invenienda civitatum urbiumque nomina et Caroli Egger et Vicipædiam Latinam et paginam interretialem inspexi cui nomen est Catholica Hierarchia (Anglice, Catholic-Hierarchy). Ut potui, nominum etymologiam investigavi, præsertim nominum, quæ ex Brasiliensium aboriginum linguis sunt oriunda. - Hic, si tibi non videatur alienum, tecum pauca illa tractabo, quæ aut non inveni aut aliquantum obscura iudicavi.

1. Incipiamus per illam provincialem civitatem, quæ dicitur **Paraiba**, cuius caput olim fuit eiusdem nominis. Modo autem dicitur Lusitane "**João Pessoa**". Aliis verbis, solum urbis nomen mutatum est, non administrationis sedes. Quo vocabulo hanc urbem appellabimus? An nomine antiquo Paraibæ utemur, an id vertemus in "Ioannem Personam", an aliud inducemus, ut "Ioannopolim" aut "Personopolim"? Quid sentis de hac re?

2. Habemus aliam civitatem provincialem, quæ Lusitane appellatur "**Ceará**". Quidam libri antiqui civitatem hanc sic reddunt ut Siaram. Carolus autem Egger maluit scribere "Cearam". Si attendamus ad litterarum sonum, "Siara" magis congruit cum lingua Lusitana aboriginumque sermonibus quam "Ceara".

3. Eiusdem civitatis caput dicitur "**Fortaleza**", vox qua Lusitane intellegitur aut virtus, quam dicimus fortitudinem, aut castellum sive arx. Notandum est illud suffixum "-eza", quod apparet in verbis Lusitanis, originem ducere a Latino "-itia". Ergo, si fontem Latinum attenderemus, caput diceretur "Fortalitia". Sed Catholica Hierarchia "Fortalexiam" dixit, cum suffixo omnino alieno et inusitato quod nescio unde petierint. Confiteor me esse ad Fortalitiam inclinatum, sed malo opinionem tuam prius audire quam ad impetum eligere nomen.

4. Restat ut disputemus de **Flumine Ianuario**, quo eodem nomine et civitas provincialis et urbs princeps appellantur. Itane faciemus Latine, ut idem nomen indidamus et civitati et urbi, an tibi aliter videtur?

Hæ sunt quæstiones quibus modo teneor. Si aliquantulum tibi fuerit otii, aperi, quæso, sententiam tuam.

Bene vale tuosque pro me saluta.

**Scripti Brasiliopoli, Martis die, IV Idus Quintiles, anno MMXXII.**

**Urbanus**

**Leo Urbano sal.pl.**

Libenter accepi litteras tuas, care amice, libenterque tecum disputabo de nominibus patriae tuae geographicis. Interimne accepisti Epistulam Leoninam novissimam (263)? Eidem inest etiam commercium epistularum tecum de Homalopoli habitum. Ceterum lêgi praesidem vestrum nuperrimê congregatum esse cum collegis Russiae et Indiae et Chinae et Austroafricae (BRICS). Porro lêgi has nationes foedere inter se iunctas iam nunc superare nationes occidentales praecipuas (G7) areâ terrarum numeroque incolarum, mox etiam superaturas esse opulentiâ atque potestate politico-militari. Ad veritatem adductum iri praedictionem *Osvaldi Spengler* ("*Der Untergang des Abendlandes*" - De occasu terrae occidentis"). Quid tibi videtur de hęc vaticinio? Haec hactenus raptim, mox, si volueris, fusius tecum loquar per litteras prolixiores. Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

d.23. m.Iul. a.2022 h.

**Leo Urbano sal.pl.**

De urbibus Brasilianis Latinis denominandis mihi scribis meque rogas, ut dicam, quae formae sint praeferendae.

(1) Distinguendum est inter nomen provinciae et urbis eiusdem principalis.

Paraiba est nomen provincia. Nomen urbis modernum est "**João Pessoa**".

„Iohannopolis“ saepius invenitur (e.g. urbs Africae Australis: Johannesburg - <https://www.geonames.de/couza.html#jnb>): „Iohannopolis“. Ne inter se confundantur hae urbes! Itaque **Personopolis** mihi plurimum placet.

(2) **Siara** bene scribi et pronuntiari potest sonis Latinis. Si propinquior est formae originali, praefero nomini Eggeriano.

(3) **Fortalitia** est verbum mediaevale, quod invenitur in Lexico Ducangiano. Quia est radix nominis moderni etymologica, nil obstat, quin comprobetur a Latinitatis Vivae defensoribus.

(4) Proposita iam sunt „Urbs Fluminensis“ ([https://la.wikipedia.org/wiki/Urbs\\_Fluminensis](https://la.wikipedia.org/wiki/Urbs_Fluminensis)) et „Ianuariopolis“. Primum nomen minus placet: Non est urbs in ipso flumine (-ensis), sed ad flumen. Ceterum nihil extraordinarii est urbem ad flumen sitam esse. Melius est nomen ipsius fluminis nomini inesse. Magis specificum videtur nomen alterum; quod mihi magis placet: „**IANUARIOPOLIS**“, quia bene congruit cum nomine fluminis, ad quod urbs sita est et cum historia urbis condendae. (<https://la.wikipedia.org/wiki/Disputatio:Brasilia>: „Nonne urbs Fluminensis **Ianuariopolis** vocatur? [usor:Bohmhammel](#), 21.47, 6 Idus Sept. 2006“. Gaius Licoppe eiusque uxor Francisca magni Latinitatis vivae propugnatores in versione „Makitae“ hoc nomen proposuerunt. Ipse usus sum hoc nomine in Epistula Leonina 192 (06.03.2019), p.6, n.6.

Haec hactenus, care sodalis Latinissime. Utinam institutio tua toponomastica procedat feliciter! Mox accipies EL 264 symbolarum variarum plenam. Suspenso animo exspecto, quid tu de iisdem dicturus et sensurus sis. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.



d.23. m.Iul. a.2022 h.18:10

**Urbanus Leoni Latino salutem.**

Salve, amice carissime!

Data ex mea parte maxima rescribendi mora, hanc excusationem affero, quod nuper domicilium mutavi. Antea vivebam in regione sic dicta Lacu Boreali; modo perveni in illam quæ dicitur Paranoa. His diebus suppellectilem accommodabam in diæta, quæ est in altero tabulato ædificii duorum tabulatorum. Hinc disto viginti chiliometris a media urbe Brasiliopoli. Octoginta circiter metrorum quadratorum cum sit, diæta satis bene et illuminatur luce solari et aere perflatur amœno.

His dictis, adeamus res a te commemoratas. Iam pervenit ad me Epistula Leonina 263, quam fere totam legi. Lamentabile est quod Taprobane, Bataviam totque aliæ per orbem civitates in tam difficilem statum dilapsæ sint. Si ipsam Europam et Civitates Unitas iam pretiorum augmentis, energiæ defectu alimentorumque inopia laborare attendamus, pessimum exitum conatus eorum, qui fingunt se circumiecta defendere, non possumus non videre.

De rebus autem Brasilianis quid essem dicturus nisi quod Civitas nostra peritissime administratur? Iam ab ineunte anno superiore vectigalia non augentur, sed minuuntur et aliquando abrogantur. Ita factum est de benzino, de gasoleo (diesel), de electrīde, de medicamentis alimentisque quibusdam et ceteris multis. Si quis, exempli gratia, stationem adeat benzinariam, hodie minore pretio, quod mirum est!, vehiculi sui conceptaculum implebit. Nobis non desunt materiæ propulsoriæ, non desunt lætamina, non desunt alimenta, non deest electricis. Præterea iam traditur sequentibus mensibus non inflationem, sed factum iri deflationem. Exinde videmus quanta prosperitas evenire potest, si, vectigalibus aut abrogatis aut saltem deminutis, hominibus detur negotiandi libertas. Progrediamur ultra.

Societati, quæ dicitur BRICS, cum obligandi non sit potestas, illius videtur esse similis, cuius nomen est G20. Eius ergo membra quamvis nullatenus officio teneantur, ut aut exercitu aut pecunia ceteris cetera succurrant, oportunitatem tamen habent summorum inter se colloquiorum statuendorum, ex quibus colloquiis magni momenti negotia prodire possunt. Sinarum autem res, quoniam prædiorum argentariarumque mercatus prope franguntur, videntur periclitari, quod nobis Brasilianis magnæ est curæ. Secundum Præsidis nostri mentem, Brasilia universali patet commercio cum omnibus. His considerationibus positis, descendamus tandem ad rem etymologicam.

1) Cum tibi et mihi simul placeat, urbem, quæ est Paraibæ caput, Personopolim exinde dicam.

2) De nomine autem civitatis provincialis Siaræ difficile est iudicare. Ipsa nominis origo in quandam incidit controversiam. Regio olim omnino aliter dicebatur. Postea vero, cum facta est provincia, donata est vocabulo præsentis, a lingua Tupi certe composito, cum non sit certum e quibus eiusdem linguæ verbis oriatur. Istam quæstionem, puto, ultro esse maturandam. Interim consilium sequar tuum.

3) Cum iam inclinarer in recipiendum Fortaliciæ nomen, placet mihi te illud non reppulisse.

4) Ianuariopolis mihi placet. Sed scias oportet et urbem et provinciam per errorem appellatas esse “flumina”. Lusitani, cum pervenerunt in regionem, uti traditur, mense Ianuario, et ipso die Sancti Sebastiani, id est XIV Calendas Februarias (19 Ianuarii), sinum, quem invenerunt, tunc putaverunt esse flumen in mare influens. Hodie sinum dicimus “Sinum Guanabaram”.

Etiam mentione dignum est, quod Archidiœcesim, quæ est Ianuariopoli, Ecclesia Catholica dicit “Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii”. Sed cives, qui ibi nati sunt ibique vivunt, neque “Sebastianopolitanos”, neque “Ianuariopolitanos”, neque “Fluminenses” sese appellant, sed “Cariocas”. Hoc extremum petitur a lingua Tupi “kara iwa oka”, quod ordine servato sic sonat Latine: “hominis albi domus”.

Ista mihi venerunt in mentem, dum tibi scribebam. Si quid aut defuit aut minus recte tractatum est, disputabimur postea. Cura ut tu tuique semper optime valeatis.

Dedi Brasiliopoli, Saturni die, X Calendas Sextiles, anno MMXXII.

Urbanus

### **Leo Latinus Urbano suo comi atque affabili sal.pl.dic.**

Epistulâ tuâ tam promptê tamque prolixê scriptâ me multum laetificas. Nec privata nec publica nec etyma exotica Tupiana omisisti: epistula tua mihi cimelium est. Modo finem impono Epistulae Leoninae 264: quam mox accipies. Utinam habitaculum tibi sit commodissimum et lautissimum, ut feliciter vivas cum tuis litterasque Latinas ditifices! Vale pancraticê, mi care Urbane, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Leo Latinus.**

### **MAXIMILIANUS PULCHER**

Salve, Nicolae,

gratias tibi ago pro novissima Epistula Leonina, quam ad me dedisti. Propter aegram valetudinem meam (Morbo coronato fui contactus) circumambulationem Augustanam „De muris aquisque“ in alteram septimam differo. Conveniemus die Saturni (23.08.) hora secunda post meridiem (14.00 h) ad Turrim Portae Rubrae (Am Roten Tor 1). Fortasse hac condicione mutata fieri poterit, ut Augustam Vindelicum venias. Multum vale!

### **Leo Latinus Maximiliano Pulchro s.**

Magnas gratias tibi ago, care Maximiliane, pro invitatione iterata. Sed doleo, quod his septimanis nulla mihi erit occasiuncula Augustam Vindelicorum iter faciendi. De absentia mea ne contristeris. Patienter expecta, certe aliquando inter nos conveniemus. Utinam mox reconvalescas! Ceterum mihi heri scripsit Christianus Aerarius (*Kupfer*) se velle petere Augustam ad monstrationem participandam. Novistine eum? Semper vale, sodalis Latinissime.

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

**PHILIPPUS MELANCHTHON TORUNIANIS S.**

Philippus Melanchthōn omnibus sodālibus et validīs et aegrōtīs salūtem dīcit quam plūrimam. Sī valētis, bene est. Egō quidem valeō. - \*Vilhelmus \*Gātēs, dictātor tōtīus mundi, novam pestilentiam fīnxit: sīmiārum \*variolās. Nam ūnā cum speculātōribus \*Americae clandestīnīs [CIA] in officīnā venēnōrum \*chimicōrum, quae in Āfricā sita est, et illam pestem et remedium composuit, ut nōs omnēs domī manēre iterum cōgerēmur. Ita fīet, ut \*Klaus \*Schwab, quī reī pūblicae profundae, quae dīcitur, intersit, omnibus rēbus renovātīs novum tōtīus orbis terrārum ordinem cōstituat. Nihil habēbimus, tamen beātī erimus. Omnium tōtīus orbis terrārum gentium status reī pūblicae erit dictātūra prōlētāriōrum \*oecologicōrum. Quid igitur edāmus, quotiēns corpora lavēmus, quandō flūmen \*ēlectricum nōbīs sit, \*fascistae \*oecologicī, quī caelum calefierī opīnantur, praescribent. - Bene valēte et habēte mē excūsātum, quod in planētam Mārtem ēmigrābō! Neque enim ibī dictātūra prōlētāriōrum \*oecologicōrum est, sed cīvītās populārīs aliēnigenārum extrāmundānōrum, quōrum cutis viridis est.

**Leo Latinus Philippo Melanchthoni ceterisque Torunianis sal.pl.dic.**

Quod attinet ad *Vilelmulum Portarium Nicolaumque Suebum*, care sodalis, videris mihi rem acu tangere! Gratulor tibi de sagacitate tuā. In appendice invenies quattuor gryllos (*gryllus*, -i m. = *cartoon*, *Karikatur*) vaccinatorios. Audi, quaeso, colloquium cum Evâ Batavâ Venere doctâ factum. [https://www.rebelnews.com/dutch\\_journalist\\_explains\\_farmer\\_rebellion](https://www.rebelnews.com/dutch_journalist_explains_farmer_rebellion) Inde sequitur Vilelmulum non solum esse vaccinatorem mundi et philanthrōpum putativum, sed esse etiam agripetam ("*land-grabber*"). Pancraticē vale et perge indagare malitiam Novi Ordinis Mundi satanicam! Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

**NAEVIUS SARTORIUS**

D.12. m.Iul. a.2022 h.22:32

**Nicolaus Naevio s.**

Quomodo diem tuum degisti? Suntne adhuc multi auditores tui larvati? Iamne accepisti et inspexisti Epistulam Leoninam 263? Quid tibi videtur de seditionibus Batavorum Taprobanorumque? Nonne hae gentes dignae sunt, quas imitemur? Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.12. m.Iul. a.2022 h.22:51

**Naevius Nicolao s.,**

care amice, profecto in urbe fui. Miror quod hodie nonnulli auditores fuerunt larvati. Cur faciant, nescio. Epistulam tuam accepi - gratias magnas tibi ago. Modo finivi pensum cottidianum meum; ut scis, oportet me multa documenta interretialia componere. Epistulam nunc inspicere possum... respondebo tibi serius. Vale semper **Naevius**.

D.13. m.Iul. a.2022 h.15:27

**Nicolaus Naevio s.**

Quod attinet ad *Vilelmulum Portarium Nicolaumque Suebum*, care Naevi, audi, quaeso, colloquium *Ezrae Levant Canadiensis* relatoris cum *Evâ Vlaardingerbroek* Batavâ Venere doctâ factum. [https://www.rebelnews.com/dutch\\_journalist\\_explains\\_farmer\\_rebellion](https://www.rebelnews.com/dutch_journalist_explains_farmer_rebellion). - Inde sequitur *Vilelmulum* non solum esse vaccinatorem mundi et philanthropum putativum, sed etiam agripetam ("land-grabber"). Sed Venus illa Batava mihi plurimum placet: audi quid dixerit de feminismo moderno!

<https://www.youtube.com/watch?v=YZIwuvJOHA> *Women Against Feminism* - *Eva Vlaardingerbroek*. - Quid tibi videtur de Evâ Batavâ? Pancraticê vale et perge indagare malitiam Novi Ordinis Mundi satanicam! Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

D.13. m.Iul. a.2022 h.15:53

**Naevius Nicolao s.**

Profecto, pulchra est et sapiens esse videtur. Modo spectavi orationem eius "*Women Against Feminism*". Omnia bene et recte dixit! Mihi valde placet. Si vis, specta contrarium: <https://www.zeit.de/video/2022-07/6308996113112/die-lange-nacht-der-zeit-2022-zukunft-der-oekologie-klimagluck>. - Cave emetica! Iste diurnarius assentationibus gratiam istarum feminarum prasinorum petere studet... De Suebo horribili serius. Vale semper, **Naevius**.

**Nicolaus Naevio s.**

"...dass wir verantwortlich sind für den allergrößten Teil des Klimagases (sic!) - historisch und auch heute..." - Si iste inanilogista emeticus verêque vomitivus sciret, quam stultus sit, statim ex se faceret litteram longam! - Omnino non possum pati hoc colloquium nisi multis pausis interiectis. Puellae istae stultissimae (omnium princeps est ista *Aemilia*!) me audientem valdê vexant, sed plurimum me vexat stultus iste baburrus vetulus quem non pudet in illarum vomicarum vesanarum culos irrepere!!!  
**NLL.**

**Naevius Nicolao s.** Rectissime, elegantissime dixisti, care amice! Iste diurnarius "*TEMPORIS*" culos puellarum horribilium lambit. ---

d.13. m.Iul. a.2022 h.22:01

**Naevius Nicolao s.**

Gratias magnas tibi ago pro epistula tua novissima. Agricola Batavi videntur pugnam pro libertate pugnare. Si ei secundum programma publicum debent „*se ab animalibus suis seiungere et stabula claudere*“, hoc programma eorum vitam omnem destruet. Cur gubernatio haec facit? Quales causae sunt? Nisi fallor, secundum „*Pactum Prasinum*“ („*Green Deal*“) emissiones nitrogenii sunt deminuendae. Nescio an hoc programma, quod oecologicum dicitur, rectum sit. Scio multos homines de eo dubitare; utique dubito - spectans eius effectus -, num sit iustum. Itaque bene comprehendo agricolas suspicari gubernationem causas omnimodo alteras habere, causas spectantes ad oeconomiam. Ceterum timeo ne Nederlandia sit primam

victimam experientiae (oecologicae vel oeconomicae) et agricolae in terris alteris Europae ab agris suis mox fugentur – „Pacti Prasini“ causa. - Hanc rem iniucundissimam observare debemus. Fortasse mox videbimus causas alias (veras?) emergere ex altitudine obscura. - Vale semper, Naevius.

d.13. m.Iul. a.2022 h.22:08

**Nicolaus Naevio s.**

Elato animo lêgi epistolium tuum. Latinitatem tuam non possum, quin laudem vehementer! Quod attinet ad causam praecepti Bataviae nitrogenii, *Eva Venus Batava* cum *Ezrâ Levant* relatore Canadensi alternativo loquens videtur eam rectê explicare. - [https://www.rebelnews.com/dutchjournalist\\_explains\\_farmer\\_rebellion](https://www.rebelnews.com/dutchjournalist_explains_farmer_rebellion) Inde sequitur *Vilelmulum Portarium* non sôlum esse vaccinatorem mundi et philanthrôpum putativum, sed etiam agripetam ("*land-grabber*"). Vale semper, NLL

D.13. m.Iul. a.2022 h.23:16

**Naevius Nicolao, s.,**

gratias magnas tibi ago. Explanatio simplex est: Mihi magister optimus est. Excusa menda mea celeriter scribendo effecta. Adhuc etiam multas collocationes verborum requirere debeo, eg illam figuram etymologicam "pugnam pugnare". Venus Batava veritati appropinquare videtur. Vale semper Naevius.

**Nicolaus Naevio s.**

PERGE QUO COEPISTI NAEVI SARTORI ! IUVAT ET DELECTAT LITTERAS LATINAS ELOQUENTIA TUA EXORNARE ET DITIFICARE ! QUID SENTIS DE INEPTIOLIS BÄRBOCCIANIS? GERMANIA RIDET DE STULTITIA POLITICORUM - A QUIBUS PERDUCITUR AD PERNICIEM... NLL

D.14. m.Iul. a.2022 h.08:00

**Naevius Nicolao s.**

Denuo gratias maximas tibi ago. Puto verba stultissima Annae-Lenae solum partem pro toto esse. Valde timeo ne stultitia – supermoralis, universalis – nova Prasina („*servemus omnes homines, servemus omnem orbem terrarum!*“) fundamentum politicae novae sit; finem rei publicae magna velocitate appropinquare video. Dum media nostra optimae qualitatis Emiliam F., Ricardam L., et alias puellas imperitas foment, dum diurnarii applaudunt eis magna cum clamore, tempora horribilia nobis instant. Prasini erunt „*idiotai utiles*“ agenda alterae, quam senex quidam descripsit his verbis: "*Nihil habetis, sed felices eritis.*" Contrarium esse verum puto: Homines bonis (proavitis) suis, historia sua privati non felices esse possunt: nam radicibus humanis privati sunt. Nihil habentes etiam non possunt esse liberi, sed pendant a donis potentium. **Vale semper N.**

**RADULFUS ARGENTINUS BONAERIENSIS**

d.14. m.Iul. a.2022 h.16:08

**Leo Doctissime,**

Te mediante, hodiernus orbis ante oculos transcurrit lingua in Ciceroniana: Taprobana et loca multa latine res suas agunt; Insuper Argentiniensium memoras humilitatem: musicum tangarium mones me ut in memoriam mittam. Quid plura dicere possim... Gratias, doctissime amice! Curiositatem, sis, audi: "tango" latine dico *tangus* et *tango* modo invariabili. Tuus Radulfus.

d.14. m.Iul. a.2022 h.16:14

**Leo Radulfo suo Bonaerensi sal.pl.**

Semper gaudeo de epistoliis Latinis, care Radulfe. Pergas, quaeso, Orbem Latinum litteris tuis ornare atque ditificare! Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

**IOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS**

d.15. m.Iul. a.2022 h.3:20 PM

LEO LATINUS IOHANNI PETRO KNIJFF [SAL.PL.](#)

S.V.B.E.E.V.

*CARE IOHANNES PETRE MUSICE INTERPRES LATINE ARTIFICIOSISSIME, QUID TIBI VIDETUR DE EVA ILLA (v. appendicem!)? NONNE EST VERA VENUS BATAVA EADEMQUE DOCTA? EQUIDEM MAGNA ADMIRATIONE INFLAMMATUS SUM HUIUS BATAVAE VENERIS DOCTAE. ASPECTA EAM ET AUDI VERBA EIUS BATAVICA ET ANGLICA ET DIC MIHI QUALIS TIBI APPAREAT! SUMNE ILLUMINATUS AN OBCAECATUS? CERTE TU PUELLAS BATAVAS MELIUS NOVERIS ET PERSPICIS QUAM EGO. SCRIBE MIHI QUIDQUID TIBI IN BUCCAM VENERIT. VELIM AUDIRE QUID SENTIAT VIR VERE BATAVUS DE HAC ANGELA SUB SOLE BATAVIAE NATA! CARE SODALIS, GRATIAS IN ANTECESSUM. PANCRATICE ET PERGE MIHI FAVERE. MEDULLITUS TE SALUTAT  
NICOLAUS LEO LATINUS*

*P.S. Care Johannes, licetne rogatiunculam addere? Iamne inspexisti EL 263? Quid tibi videtur de seditione agricolarum Batavica? Vale semper, NLL*

d.15. m.Iul. a.2022 h.20:09

**Salvus sis, mi optime Leo!**

Pro litteris hodiernis haud iniucundis gratias habe, o Leo docte. Quod ad Evam attinet illam – cuius patrem scito esse rerum musicarum quod sciam non prorsus indoctum – licet formae non omnino sit expers fateor eam neque Venerem neque Psychen neque Cleopatram neque hercle Laidem esse meam. De gustibus vero, ut tu certe non nescis, disputandum non est: utinam cuique detur suum! - Quis quoque neget puellulam esse doctam? Quanquam si verum dicendum est gradus academici hodierni neminem doctum facere mihimet videntur. De factione tandem ista cuius dominula Eva nonnullos per annos particeps – immo inter primores – fuisse videtur (si qua fides iis quae in reti magico de Venere tua colligere potui) breviter dicam – quod certe patet – talibus me nullo modo assentiri propositis. - Di te novum Adamum amore illius Evulae ut videtur captum tueantur, mi bone Leo! Valeto pancratice! - **Johannes tuus.**

d.15. m.Iul. h.21.35

**Care Iohannes,**

gratias plurimas pro aestimatione tuâ quamquam sensibus meis adversâ!  
*"De factione tandem ista cuius dominula Eva nonnullos per annos particeps – immo inter primores – fuisse videtur (si qua fides iis quae in reti magico de Venere tua colligere potui) breviter dicam – quod certe patet – talibus me nullo modo assentiri propositis."*- In praesenti nolo disputare de rebus politicis et ideologicis; tamen permitte, ut suspicer (nescio num recte) te minus de puellae moribus et facultatibus ipsisque factis quam de eiusdem statu et praetextu ideologico ("*Haltung*") iudicare. Hodie enim - proh dolor! - moralitas aestimatur vanis verbis tritis et indignatione hypocritica --, non veris virtutibus ex ipsis factis apparentibus et interrogatur: '*Estne ista dextrae, fortasse extremê dextrae partis? Est. Ergo non potest esse bona, etsi dicit optime et facit optima*'). At revera ista divisio politica dextrae et sinistrae partis hodie non iam valet. In Germania id quod hodie dicitur programma esse partis extreme dextrae, ante 20 annos fuit programma a conservativis christianodemocratis una voce comprobatum et laudatum. Propter Angelae cupiditatem potestatis retinendae conservativi - paene dixi: violenter - sinistrorsum semoti facti sunt prasini, i.e. sinistri-oecologici, interdum (velut Margus Södolfus Frango Unionis Christianosocialis) student Prasinis esse prasiniore. Prasini autem sunt melonibus similes: extra habent putamen viride, intra fructum rubrum. Isti magis favent doctrinae Maonis et Polpotii quam saluti populi. Vide quid nunc in Germania faciant: Naturam quam praetexunt se tutari velle, gravissime destruunt (rotis aeolicis multisque aliis rebus ineptissimis) et periculum est, ne industria destructa curent ut autumno et hieme nos frigeamus resque nobis redeat ad rastros. Isti Prasini et Socialistae et Pseudo-liberales (qui nihil faciunt nisi temporibus serviunt lucrum et munuscula petentes) sunt demagogi et baburri omnis sensus responsabilitatis expertes! ----"*si verum dicendum est gradus academici hodierni neminem doctum facere mihimet videntur.*" --- Generaliter non possum quin tibi assentiar; sed specialiter, quod attinet ad Evam, eius orationibus et colloquiis auditis pro certo

habeo hanc puellam esse - si aetatem iuvenilem respicis - scientiae et eloquentiae extraordinariae. Sed talibus dissensiunculis amicitia nostra, care Iohannes, utinam ne ullo modo perturbetur vacilletve; perge artem musicam et Latinitatem colere et exornare et ditificare! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.16. m.Iul.a.2022 h.12:51

### **Salvus sis iterum, mi bone Leo!**

*In praesenti nolo disputare de rebus politicis et ideologicis; Neque ego! tamen permitte, ut suspicer (nescio num recte) te minus de puellae moribus et facultatibus ipsisque factis quam de eiusdem statu et praetextu ideologico ("Haltung") iudicare. Fateor me haud sat bene ipsam cognovisse puellam quam ut omnibus in rebus naturam ipsius aequae recteque – absque ira et studio, ut ait poeta – iudicem. Tamen nonne credis proposita factionis cuius inter primores quod sciam sat diu versata est aliquid edicere de ipsa Eva? - Hodie enim - proh dolor! - moralitas aestimatur vanis verbis tritis et indignatione hypocritica --, non veris virtutibus ex ipsis factis apparentibus et interrogatur: 'Estne ista dextrae, fortasse extremè dextrae partis? Est. Ergo non potest esse bona, etsi dicit optimè et facit optima'). Nil aliud ad hoc respondere possum quam a tali absque ullo discrimine modo cogitandi me longe abesse putaverim speraverim crediderim, Leo amice. - De rebus autem publicis nollem tecum, qui non dubito quin sis et omnibus in rebus et hac certe in re me multo doctior, disputare (quod quidem ne putaveris significare me omnibus quae dixeris assentiri). ----"si verum dicendum est gradus academici hodierni neminem doctum facere mihimet videntur."---Generaliter non possum quin tibi assentiar; sed specialiter, quod attinet ad Evam, eius orationibus et colloquiis auditis pro certo habeo hanc puellam esse - si aetatem iuvenilem respicis - scientiae et eloquentiae extraordinariae.--- Libenter hac quoque in re tibi cedo, mi bone Leo. Sed talibus dissensiunculis amicitia nostra, care Iohannes, utinam ne ullo modo perturbetur vacilletve; perge artem musicam et Latinitatem colere et exornare et ditificare! - Conabor atque Minerva adiuvante Apollineque utinam olim mihi liceat ut vel exiguam partem earum quae sunt in animo perficiam! Tu autem **athletice valeas cura, Leo carissime!***

### **Nicolaus Iohanni s.**

Summas gratias, care amice, pro responso promptè perhumaniterque dato. Permittas ut aliud quoque ad patriam tuam spectans ex te quaero: Quid tibi videtur de **Cees Nooteboom** auctore Batavo? Ni fallor idem scripsit fabulam, quae spectat ad magistrum linguae Latinae. Novisti eam? Placetne tibi? Si tibi placet, nonne pulchrum et decorum est te eandem in Latinum vertere? Quid sentis? Scribe quidquid tibi in buccam venerit et vale semper, NLL

[https://nl.wikipedia.org/wiki/Cees\\_Nooteboom](https://nl.wikipedia.org/wiki/Cees_Nooteboom)



d.16. m.Iul.a.2022 h.13:28

**Salve iterum, Leo honoris causa Batave!**

Ille Cornelius Nux – si liceat nomine Latino eum nominare – nemo (quod sciam) dubitat quin sit fortasse optimus auctorum qui nunc sunt Batavice scribentium (nescio tamen num adhuc scribat, nam paene nonagenarius est homo!). Pudet fateri illam de magistro linguae Latinae fabulam mihi non esse notam. Nonne index eius tibi notus est vel, si – quod suspicor – agitur de narratiuncula paulo brevior, titulus libelli? Certe talem fabulam dignam esse putaverim ut Latine eam reddam. Vale! **Johannes tuus.**

**LEO LATINUS IOHANNI PETRO CORNELII NUCIS INTERPRETI FUTURO S.**

Nonnullas materias fabulae *Cornelii* compatriotae tui collegi (inspicias, quaeso, appendicem huius epistolii). Lēgi multorum animos inflammatos esse hōc opere *Noteboomiano* (non nimis prolixo). Profecto idem mihi videtur delectamentum esse omnibus linguae Latinae amatoribus pulcherrimum maximēque admirabile! Nam auctor ipse dicit se vehementer amare linguam Latinam. Ergo quis dignior est, mi care Iohannes Petre, qui hoc opus laureatum toga induat quam tu ipsissimus? Lege et dona Orbi Latino donum dignissimum et pulcherrimum. Singula capitula publicemus in Epistulis Leoninis. Quid sentis, amice? Noli refragari! *Ducunt fata volentes nolentes trahunt.* Pancratice vale et perge mihi favere! **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

**CHRISTIANUS LAES PRAESES ALF**

D.17. m.Iul.a.2022 h.21:12

**Christianus Nicolao, Leoni strenuissimo!**

Ut semper, mi optime sodalis, Leonem Latinum maximo cum gaudio accepi, necnon fere erubui propter verba benignissima de me prolata. Ceterum, Orbis Pictus tuus erit inter maiora incepta pro annis futuris Academiae nostrae. Nos videlicet et auxilium in vocabulorum versionibus necnon in rebus pecuniariis offerre poterimus. Tu cures, interea, ut licentiam a domo editoria quam primum accipias, Valeas valeasque atque aestate fruaris!

**Prof. Dr. Christian Laes**

D.17. m.Iul.a.2022 h.21:

**Nicolaus Christiano Praesidi sal.pl.**

Summas gratias pro responso perhumaniter dato et auxilio lexicographico et pecuniario oblato. De singulis universis mox tibi scribam. Utinam tibi sit septimana iucunda et prospera. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat

**Nicolaus Leo Latinus.**

**GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

d.18. m.Iul.a.2022 h.14:21

**Gaius Nicolao sodali optimo s.p.d.**

In Belgica aestiva tempora fiunt magis sicca, sed adhuc habemus satis magnam copiam aquae conditivae. Nuper negabas clima terrestre mutari; quis hoc adhuc negare potest?

Erras in analysi belli in Ucraina. Dicis "nam imminet nobis penuria gasi et olei": inde docemur a vicino pendere, nisi fidus sit, periculosum esse. In Belgica modo nuntiatum est 15% energiae defecturas esse proxima hieme; debemus energiae parcere.

Germania magis quam Belgica pendet a gazo Russico, quamquam Americani eam iam diu de hoc periculo monuerant. Dictator Putinus suum gazum adhibet ut instrumentum politicum; ante Ucrainam oppugnatam iam conatus erat eam in dicionem suam redigere gazo utens instrumento.

Sanctiones Putino impositae non possunt effectum statim habere, sed habebunt; iam, praesertim in urbibus, incolae magnas mutationes vitae cottidianae patiuntur, sed mendosa propaganda patriotica satis solacii sunt plerisque.

Valor monetae Russicae auctus est sed artificiose; hoc enim incrementum est effectus temporarius nonnullarum exportationum, pro quibus Putinus valuit pensionem exigere moneta Russica factam.

Foedera pacta cum Indis, Brasilianis et Austroafricanis sunt nullius ponderis, cum harum civitatum humanae societates sua inveterata problemata socialia nondum solvere valuerint. Sinensibus Putinus potius diffidere debet, quam proclamare eos esse socios indefectibiles; in memoriam revocet Pactum Germano-Russicum anni 1939; in Sinis enim 1,5 miliardum incolarum continetur territorio nimis exiguo, quare iam Tibetum in dicionem suam redegerunt, quo colonias deducunt; in vicino et extentissimo territorio Sibiriae vivunt tantum 40 miliones incolarum: nonne magna est temptatio? Sinarum dictatores insuper sunt dolosi et iam astute coeperunt se in Sibiriam insinuare; praetextu modernae Viae Sericae muniendae, magna opera suis sumptibus ibi iam effecerunt.

De dictatoribus semper est diffidendum; nemo enim scire potest quod insanum consilium mente volvant. Bellum insanum, obsoletum, quod iste sceleratus Putinus contra Ucrainam facit, non solum commerciales permutationes mundanas perturbavit, sed quoque effectus ipsi inexpectatos habuit; imprimis putavit suum exercitum Ucrainam celerrime capturum esse, sed Ucraini se fortiter defendunt. Insidiosae hoc bellum coeperat in orientalibus provinciis; quamquam Ucrainae Praeses iam tunc auxilium ab Occidentalibus petebat, democratiae, ut solent, Ucrainos solum verbis iuverunt; iam Romani Sagunto, suo socio, non statim auxilium tulerunt, unde secundum bellum Punicum, dirum et longum, passi sunt.

Nemo in Occidente putabat eum verum bellum Ucrainae indicturum esse. Fecit tamen, sed contra eius expectationem democratiae occidentales, Unionis Europaeae et USA, expergefactae, statuerunt vires cunire ut maximum auxilium Ucrainis ferretur. Vetus foedus Atlanticum NATO, de cuius utilitate caeci Europaei magis

magisque dubitabant, statim factum est magni momenti et duae novae civitates voluerunt foederis participes fieri, Suetia, quamquam mavult neutra esse, et Finnia, quae Russis merito diffidit, cum a Stalino anno 1939 sine causa iam oppugnata sit.

Fere cottidie Putinus ruchetas mittit in urbes quae longe a pugnis absunt, ad terrorem ergo iniciendum. Televisione video aedificia collapsa, unde siphonarii conantur victimas extrahere; video quoque infelices sine tecto et eorum dolorem participo, quia ipse hoc passus sum. Est enim solitus dictatorum agendi modus.

Avia mea, cuius maritus, chemista et pharmacopola, praemature vita functus erat, incolebat parvam urbem *Nivelles*, claram propter veterem ecclesiam romanicam; in vetere urbis vico habitabat magnam domum septimi decimi saeculi, cum magno stabulo et subtegulaneo trium tabulatorum, ubi, cum puer essem, reliquias trium saeculorum mirans inveniebam. Avia vivebat cum filia non maritata et vetere ancilla. Subito mense Maio 1940 bucinae monitoriae ululant et paulo post pluvia bombarum cadit in mediam urbem. Illae tres feminae in suis concameratis cellariis conditae incolumes sunt sed vix e domus ruinis se extrahere possunt; sine tecto, iam nihil possidentes, pedibus discedunt nescientes quo tendant et turbam hominum aequae miserorum ad Occidentem fugientium sequuntur...

Ipse, tunc novem annos natus, effectum huius terroris quoque passus sum. Pater initio nolebat suam domum Bruxellensem relinquere sed, in extremis, cum iam cannonum ictus audiremus, supplicationibus familiae quasi coactus, statuit in Francogalliam proficisci. Tanta est in viis fugientium multitudo, ut diu patris autocinetum non celerius progrediatur quam multo frequentiores pedibus ambulantes. Peditibus tandem praetervectis, incohatur longissima series vehiculorum vix celerius progredientium. Hic illic videmus vehicula polybolis aeroplanorum incensa, quae extra viam propelli debuerant... Hitleri consilium terrorem in populum iniciendi mirum effectum habuerat.

P.S. Prasinos non comprobas, neque ego. In Germania, et quoque in Belgica, voluerunt electrificinas nucleares suppressere, sed quamquam Germania primum locum in Europa habeat in eolia energia adhibenda, adhuc tantum quartam partem necessariae energiae affert; reliqua energia gignitur carbone fossili (25%), gazo (14%), fissione nucleari (12%), cellulis photovoltaicis (9%) et biogazo (6%); non dubito quin deficienti Putini gazo tempore suppleatur.

Cura ut valeas.

d.18. m.Iul.a.2022 h.17:48

**Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic.**

Animo elato perlêgi epistolam tuam prolixam multisque materiis variis uberrimam. Etiam de damnis et periculis, quae familia tua passa est tempore belli, vividê narras; quibus legendis anima mea plurimum affecta est. Omnia a te relata et narrata libentissimê publicabo proximâ in Epistolâ Leoninâ. Scias me epistulas lectorum scitê et delectabiliter scriptas maximê aestimare, quia pro certo habeam easdem esse documenta Latinitatis vivae historica servatu et traditu dignissima.

De climate deque Russiâ Ucrainiâque confiteor me tibi partim assentiri, partim a te dissentire; sed iuvat et delectat colloquendo interdum dissentire, ne consensu continuo oriatur taedium colloquendi. Dissensione mens mihi acui posse videtur; pro certo habeo manere disputationem nostram pacificam. Nullum est periculum, ne nos tamquam galli pugnatorii unus in alterum invehamur. Multa iam argumenta prolata sunt et climatica et ucrainiana.

Primo adnoto proximae Epistulae Leoninae inesse etiam varias symbolas ad penuriam energiae et ad Russiam spectantes. Fortasse his acceptis rem accuratius ad obrussam exigere poterimus.

De mutatione climatis anthropogenâ putativâ licet in praesenti unum tantum exemplum afferam, quo in dubium vocari possit illa thesis carbonica (numquam demonstrata), quâ Prasini nos non desinant vexare: Nudius tertius in hebdomadali Turicensi, c.t. *"Die Weltwoche"*, lêgi symbolam cuiusdam profestricis (*Gisela Müller-Plath*), quae refert in Europâ mediâ annum ferventissimum omnium, quem in historiâ Europae secundum chronica tradita umquam factum esse accepimus, fuisse annum 1540. Quo anno siccitate horribili magnam famem factam esse. *Henricum Bullinger* Turicensem latinis verbis (textum originale velim quaerere, Latinê reddo verba theodisca) retulisse haec: *Aestum sôlis iam coepisse ultimo die mensis Februarii et duravisse usque ad d.19. m.Sept., per 26 septimanas. Hôc spatio temporis sex tantum diebus pluviâ cecidisse. Aestate fervorem tam ingentem fuisse, ut silva Thuringensis accenderetur, magnâ penuriâ aquae et frumenti homines acervatim mortuos esse.* Moderni meteorologi invenerunt hanc phasin enormem caloris extremi non esse effectam mutatione climatis anthropogenâ (nondum exstitit industria magna, quâ tantae copiae carbonei dioxydati in aerem emitterentur quam hodie). Sed iidem scientistae causam huius caloris siccitatisque millennalis dicunt fuisse ingentem regionem pressionis aerae maioris, quae pertingeret ab Europâ austrooccidentali usque ad boreo-orientalem, usque in magnas altitudines, et cum regione pressionis maioris Azoricâ coniuncta esset. Hac regione pressionis aerae maioris per undecim menses ventos occidentales esse impeditos, ne pluviâ afferrent. Talem condicionem tempestatis appellari *"Omega-Wetterlage"*; eâdem etiam effectos esse calores extraordinarios a.2003 et 2018 (quos falso explicatos esse mutatione climatis anthropogenâ).

In fine auctrix concludit: *"Analysi historiae siccitatum europaeae datorumque tempestatis 150 annorum transactorum apparet tales eventûs vix effectos esse ipso carboneo dioxydato (CO2) ab hominibus emisso. Haud minus cadere pluviâ quam prioribus temporibus neque pluviâ aliter distribui quam prius. Potius causas calorum siccitatumque esse sôla (humos) et plāgas ab hominibus mutatas, quibus pluviâ celerius per fluvios in maria dirigatur ideoque deminuat altitudo aquae subterraneae. Hôc modo non sôlum pluviâ deficiente siccitatem sôlorum et calefactionem aeris augeri, sed etiam pluviâ abundante fluvios celerius inundari - ut nuper apparuit ex relatione finali inundationis calamitosae, quae facta est anno proximo praeterito (a.2021) in Germanicâ Valle fluvii Ahr."*

Haec habui, quae de quaestione climaticâ modo obiter in hebdomadali invenirem Turicensi. Sed utrumque thema a te attactum (clima et Ucrainianum bellum) cum sit sat multiplex, numquam nobis deerit, care Gai, materia per litteras tractanda.

Mox, si volueris, fusius atque prolixius tecum disceptabo. Haec hactenus. Vale pancraticê, et fac ut mox plura mihi scribas de omni re, quae tibi in buccam venerit. Et saluta a me Franciscam tuam Latinissimam. Medullitus vos salvere iubeo.  
**Nicolaus Leo Latinus.**

### **MAURUS PISINI**

d.22. m.Iul. a.2022 h.11:33

#### **Maurus Nicolao s. p. d.**

Nuper accepi, carissime, et fasciculum E. L. recentiore (CCLXI) et novissimum (CCLXII). In utroque legi multa libenter, at summopere sum delectatus scripto tuo c. i. *Mulier serpentina*, quod more lepido, fluenti, peculiari concinnasti nec non epistulis quas lectores spectatissimi, Latina eruditione conspicui, tibi mittere solent. - Re vera, plurimi semper facio et propter argumenta et propter stilum eorum, quem singularem dixerim, verba Ioannis Caroli Rossi, Victorii Ciarrocchi, Theoderici Sacré. - His diebus, do tandem operam reliquis articulis quos nondum evolvi quosque, nunc, lego pedetemptim, pedetemptim gusto. - Praeterea, cum hos Musa dederit, alios tibi versus tradam. - Ex animo valeas.

d.23. m.Iul. a.2022 h.14:40

#### **Nicolaus Mauro suo sal.pl.**

Cum soleant gratae esse mihi, care Maure, epistulae Lectorum, qui de symbolis Leoninis quid sentiant me certiore faciant, tuae mihi sunt gratissimae, qui poeta Latinus laureatus easdem laudes perhumaniter. Summe gaudeo quod etiam sedule perlegis epistulas sodalium; nam maxime aestimo commercium litterarum quod fit inter homines studia humaniora amplexos. Memoras Epistulas Leoninas 261 et 261; sed interim iam pridem tibi misi 263 - nonne eas quoque accepisti? Nisi accepisti, scribe mihi, libenter iterum mittam. Hodie accepturus es Epistulam 264, quae est magna materiarum varietate. Suspenso animo exspecto, quid de eadem mihi scripturus sis. Pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus.**





**Ecce gryllus a gryllographo omnium illustrissimo  
artificiosè confectus:**

**»Venter Legislativus«**  
quem a.1834 pinxit

**HONORÉ DAUMIER**  
(1808-79)



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b> Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50



				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM QUARTAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE**

**PERFECIT**

**Die Saturni  
23. m.Iulii a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**